

# EPISTULA LEONINA

## CCIL

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM**

**DUCENTESIMAM UNDEQUINQUAGESIMAM (249)**

# ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA .....</b>	<b>03-06</b>
<b>ECCE TRES MAGI DONA FERENTES.....</b>	<b>07</b>
<b>CARMEN NATALICIUM THOMAE PEKKANEN.....</b>	<b>08-09</b>
<b>CHRONOGRAMMA RÖSSLERIANUM.....</b>	<b>10</b>
<b>NUNTIUS NATALICIUS ARCHIEPISCOPI CAROLI MARIAE VIGANÒ...11-17</b>	
<b>ALTERUM CHRONOGRAMMA RÖSSLERIANUM.....</b>	<b>18</b>
<b>KALENDAE MAIAE: <i>Narratiuncula Simonis Carmiggelt a Iohanne Knijff Latinê reddita.....</i></b>	<b>19-21</b>
<b>CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....</b>	<b>22-26</b>
<b>GLOSSAE ORBIS PICTI LATINI HEXAGLOTTI (III).....</b>	<b>27-30</b>
<b>MALUM SIBI AVIS CACAT.....</b>	<b>31</b>
<b>DE LATRINIS SECESSIBUS SELLISQUE FAMILIARICIS.....</b>	<b>32-53</b>
<b>ECHUS VOCES EPISTULAE.....</b>	<b>54-58</b>
<b>NUNTIUS DE PROXIMO CONVENTU ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE (11.-15.VI.2022).....</b>	<b>59-60</b>
<b>LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	<b>61-64</b>
<b>VOTA IN ANNUM MMXXII FERENDA.....</b>	<b>65</b>

## PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS  
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

### **Cara Lectrix, Care Lector,**

*die Epiphaniae intimo ex corde tibi salutem dico vota  
in novum annum laturus.*

*Certê hic annus MMXXII nobis non erit facilis  
superatu. Permulti enim homines ubique terrarum in  
difficultates adducti de valetudine necnon de libertate  
suâ sollicitantur; in dies plures hoc publicê  
manifestant. Utinam ne – ut utar Thomae Hobbesii  
philosophi Britanni metaphoris biblicis – opprimamur  
a Leviathane neve a Behemoth, sed studeamus  
efficiendis societatibus verê pacificis verêque liberis.  
Hoc fieri non poterit, nisi in disputationibus publicis  
atque privatis, in politicis et scientificis tamquam in  
causis iuridicis semper **auditur et altera pars**. Utinam  
observetur tolerantia quam maxima: homo verê  
humanus patienter audit sententiam alterius etiamsi  
pro certo se habere credit eandem esse vel falsissimam.  
Talis homo, qui Bonas Litteras non primoribus tantum  
labris gustavit, sed iisdem verê imbutus est, adhibet  
argumenta valida atque dilucida ad sententiam suam  
defendendam, minimê minas et concussionones et*

*prohibitiones. **Censura sententiae alterius ne fiat!** Ne cui concivi libero ore loquenti inuramus notam censoriam! Utinam ne sequamur demagogos hypocritas, qui sub praetextu salutis publicae tuendae societatem diffindant et unam partem populi in alteram instigent suo tantum commodo callidè inservientes secundum proverbium quod est "Divide et impera!" – Est enim et alterum proverbium verè Romanum: **"Concordiâ parvae res crescunt – discordiâ maximae dilabuntur."***

*Procul dubio iste annus nobis imminens non vacabit a laboribus et molestiis et doloribus. At – ut verum confiteamur – quem annum mortales umquam experti sunt perfectè felicem? Mundus numquam verè sanus fuit, aetatem illam auream – proh dolor – nondum invênimus nisi in poetarum regno mirabili, ne loquar de beatitudine caelesti piis hominibus patienter sperandâ.*

*Sed nos studia humaniora amplexi semper solacio fruimur Bonarum Litterarum. Dum spiramus speramus mundum aliquando factum iri locum meliorem. Tu ne cede malis sed contra audentior ito.*

*Quid dicam de nuntiis in Orbe Latino novissimis? Si quid certi scire vis **de Conventu Academiae**, quae fiet hóc anno mense Iunio, legas, quaeso, p.60 sq.*

*Nuperrimè Professor Christianus Laes Alter a Praeside Academiae Latinitati Fovendae nos magno cum gaudio certiores fecit editum esse 'magnum hoc secretum', librum scilicet gratulatorium, qui ante duos menses **in honorem Theoderici Sacré**, ipsius Praesidis Academiae Latinitati Fovendae et Professoris Lovaniensis anno proximo praeterito rude donati in lucem esse editum, elegantissimè quidem a domo editoria Brepolis\*. Intimo ex corde gratulamur Theoderico Praesidi Academiae et Professori de poesi neolatinâ deque Latinitate vivâ meritissimo, quod tanto honore exornatus est et addimus laeta verba Alterius a Praeside: »Sic iterum demonstratur quod minimè erat demonstrandum, sed semper iuvat indicari: Academiam nostram esse et doctam et Latinam!«.*\*\*

**Epistulas Leoninas**, Cara Lectrix, Care Lector, hōc quoque anno accipies solitis condicionibus: gratis et sine ullâ obligatione. Scias mihi magnam illam rem propositam, quam aestate annuntiavi, novi periodici Latini editionem, differendam quidem esse propter **Orbem Pictum Hexaglottum**, magnum opus meum lexicographicum, perficiendum et dispensationem

---

\* *Dulces ante omnia Musae*. Essays on Neo-Latin Poetry in honour of Dirk Sacré. Eds. J. De Landtsheer, F. della Schiava, T. Van Houdt, 724 pp., a.2021. v. annuntiationem domus editoriae Brepolis:

<https://www.brepolonline.net/action/showBook?doi=10.1484/M.STLLL-EB.5.121102>

[http://www.brepols.net/Pages/ShowProduct.aspx?prod\\_id=IS-9782503590776-1](http://www.brepols.net/Pages/ShowProduct.aspx?prod_id=IS-9782503590776-1)

\*\* cfr epistolium p.58 publicatum

*editoriam adhuc incertam, sed minimè auferendam. Eos lectores, qui mihi iam laetè nuntiaverunt se velle redactionis participes fieri, grato animo rogo, ut patienter expectent; nam etiam Roma non uno die aedificata est. Ceterum symbolas Latinas mihi missas libentissimè in Epistulis Leoninis divulgabo.*

**IN ANNUM MMXXII TIBI OPTIMA QUAEQUE EXOPTO!**

*Utinam hōc quoque anno maneamus vinculo Latinitatis inter nos coniunctissimi.*

*Vale pancraticè et perge mihi favere.*

*Medullitus te salutat*



**Dr. Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

**Die Epiphaniae sive Trium Magorum**

**06. m.Ian. a.2022**





**SCS Balthassar, SCS Melchior, SCS Caspar tres magi pileis Phrygiis induti.**

Opus tessellatum saec. 6. p.Chr.n. confectum Basilica Sant'Apollinare Nuovo, Ravennae sita. Vestitus trium magorum similis est vestitui Persarum sacerdotum regni Sassanidarum (224-642 p.Chr.n.).

## CARMEN NATALICIUM THOMAE PEKKANEN

### Christi nativitas in Bethlehem<sup>1</sup>

Iussum est a Caesare, ut describerentur  
omnes orbis homines et profiterentur;  
prima haec descriptio civium fiebat,  
Syriam Quirinius cum administrabat.

Tum petebant singuli suam regionem,  
ut pro suis facerent hanc professionem.  
Et Ioseph de Nazareth relicta Galilaea,  
civitatem Davidis petit in Iudaea,  
quae vocatur Bethlehem, Davidis nam domo  
erat et familia ortus ille homo.  
Cum Maria virgine sibi desponsata  
profiteri debuit iam ingravidata.

Ibi his manentibus illa virgo pia  
suum primogenitum filium Maria  
peperit et puerum natum involutum  
pannis in praesaepio posuit dormitum,  
quia deversorium eis est negatum.

Et pastores ibidem erant vigilantes  
noctis per vigiliis gregem observantes.  
Ecce Dei nuntius apud illos stabat,  
et divina claritas omnes luminabat.

Pastores tum maximus timor occupavit,  
sed illorum animos angelus pacavit:

---

<sup>1</sup>*Versus ascendens heptasyllabus + hexasyllabus descendens  
rimis ornatus*



”Magnum vobis nuntio gaudium, quod praesto  
erit omni populo, nullus timor esto,  
namque vobis hodie, ecce, puer natus  
est Salvator Dominus Christus nominatus.  
Hoc est testimonium: natum quem quaeritis  
involutum pannulis vos invenietis  
in praesaepi positum.”

Subito cum angelo plurimi caelestes  
milites pastoribus huius rei testes  
dicunt Deo gloriam in excelsis, pacem  
in terra, hominibus bonam voluntatem.

Dum discedunt angeli caelum repetentes,  
loquebantur invicem pastores dicentes:  
”Nos autem nunc Bethlehem usque transeamus,  
quae ostendit Dominus coram videamus.”

Festinantes Bethlehem pastores venerunt,  
et Mariam virginem illic invenerunt  
cum Ioseph, et puerum, sicut erat dictum,  
bom in praesepio positum dormitum.

Quibus visis nuntium, quod est dictum sibi  
de hoc parvo puero, qui iacebat ibi  
in praesepi Bethlehem, illi rettulerunt  
omnibus. Mirati sunt, qui hoc audierunt.

Conservabat omnia verba haec Maria  
corde suo conferens illa virgo pia.  
Et pastores postea domum reverterunt,  
Deum propter omnia glorificaverunt.

**(TP <Luc. 2:1-20)**

# CHRONOGRAMMA RÖSSLERIANUM

A **V** R **V** M

T H **V** S

**M** Y R R H A Q **V** E



2 0 - C + M + B - 2 2

**HOC CHRONOGRAMMA CONFECIT  
TOBIAS RÖSSLER**

# NUNTIUS NATALICIUS QUEM OFFERT ARCHIEPISCOPUS CAROLUS MARIA VIGANÒ



ARCHIEPISCOPUS CAROLUS MARIA VIGANÒ (\*1941)

*»Ecce unus ex ultimis viris Ecclesiae probis atque sinceris aetatis nostrae, qui nos etiam in Nativitate Christi non deserens omnibus christifidelibus bonum huic mundo insitum defendentibus nuntium affert confidentiae. Qui nuntius imprimis spectat ad lectores sitûs nostri interretialis, qui apud nos continuo legant, quomodo Archiepiscopus Viganò resistat globalismo destructivo, praesertim in Ecclesiâ Catholicâ gliscenti«.*

d.25.m.Dec.2021

David Berger

<https://philosophia-perennis.com/2021/12/25/bleibt-standhaft-weihnachtsbotschaft-von-erzbischof-carlo-maria-vigano/>

<https://katholisches.info/2021/12/23/bleibt-standhaft-weihnachtsbotschaft-von-erzbischof-carlo-maria-vigano/>  
Katholisches Magazin für Kirche und Kultur – Horreum Cultûs Civilis Catholicum

„Constantes estote“ – Nuntius Natalicius ab Archiepiscopo Carolo Mariâ Viganò allatus  
d.23. m.Dec. a.2021



**S.E. CAROLI MARIAE VIGANÒ NUNTIUS QUI SPECTAT AD NATALE DOMINI NOSTRI**

*Veni, o Sapientia,  
Quae hîc disponis omnia;  
Veni, viam prudentiæ  
Ut doceas et gloriæ.*

Haec verba excerpta sunt ex cantico natalicio praevetusto, quod exortum est saeculo octavo. Quibus anima christiana advocat adventum Domini nostri Iesu Christi, Sapientiae Patris, ut monstret, quomodo istanc vallem lacrimarum salvi transeamus necnon viam prudentiae et beatitudinem in caelo, viam gloriae, adipiscamur.

Ad vos omnes me converto, Cari Fratres atque Sorores, qui hîc biennio furoris sanitatis tuendae fortiter restitistis auctoritati statali vos concutienti, quae ubique servit potestati globalisticae, quae prodit ius naturale et Deum et violat lêges civitatum. Consilium captum est praxicopemate planetario<sup>1</sup> efficere *Magnum Mundi Reinitiationem*<sup>2</sup>, quâ constituatur immanis tyrannis *Novi Ordinis Mundi*<sup>3</sup>.

<sup>1</sup>\*prāxicopēma \*planētārium i.q. theod. *planetarischer Staatsstreich*

<sup>2</sup>Māgnus Mundi \*Reinitiātiō i.q. angl. *Great Reset*

<sup>3</sup>Novus Ordō Mundi i.q. angl. *New World Order*

### **Absurda suppressio libertatum fundamentalium**

Imprimis ad vos me converto, **Carae Matres Familiarum Patresque**, qui his horis, quibus reviviscit absurda suppressio libertatum fundamentalium, pro eo quod statuistis, ne liberi vestri subicerentur vaccinationi, qualis dicitur, nunc cogimini poenam dare emarginationis socialis et discriminationis detrimementosae. Aequilibrium autem animae corporisque parvulorum crudeliter iam deminutum est institutione remotâ et obligatione mascae gerendae et doctrinis a magistro inculcatis. Ut permetteretur serum geneticum parvulis destinatum, quod nunc contenditur posse securê atque inevitabiliter adhiberi, ut virus reprimeretur parvulis minimê periculosum, sed quo eorum systema immunitatis irrevocabiliter affligitur - istud infame nuper decreverunt homines, quorum animae corruptae, mentes perturbatae sunt, et qui sentiant vitam parvuli innocentem sacrificandam esse in arâ molochi valetudinis tuendae.

### **Animis elatis tutamini parvulos vestros!**

Animis elatis tutamini parvulos vestros, quorum et valetudini corporum et saluti animarum vos estis responsables. Supponite liberos vestros amiculo Virginis Beatissimae tutorio eosque Virgini consecrate, cui unâ cum Sancto Iosepho id contigit, ut vitam Iesu Infantuli infestam ab irâ Herodis servarent Aegyptum fugientes. Nolite oblivisci, Cari Parentes, Dominum liberos eximiâ cum caritate considerantem minimê neglecturum esse eosdem sancto tutamento tutantem.

Vobis, Functionarii et Operarii, qui dimissi estis et mercede privati, quia non vultis concedere concussioni vaccinatoriae; vobis, Fabri et Tabernarii, Caupones et Officinarii, qui a gubernatione iniustê coacti estis, ut clauderetis officinas atque tabernas eo tantum fine, ut fieretis pauperes; vobis, Officiarii et Milites et Vigiles Publici, qui cogimini statuere, utrum praeferatis oboedientiam hierarchicam an ius iurandum constitutioni rei publicae liberae factum; vobis, Medici, Nosocomi, Sanitarii, qui expulsamini ex nosocomiis et clinicis et gerontocomiis, quia non sinitis vos vaccinari sero genetico, vobis omnibus dico: Resistite! Illi, qui concussione vos cogere volunt, ut in periculum adducatis valetudinem vestram, animi vestri constantiâ atque firmitate sciunt vos collegis amicisque vestris solacio esse et exemplo. Defendite vos, nam ius vobis est

intangibile curationem medicinalem recusandi, quae evidenter est inefficax et nociva, immo mortifera, quae est genotherapia neque utilis est ad valetudinem tutandam atque protegendam, sed ad nos servos faciendos chronicê aegrotantes, immo ad gentem nostram excîdendam. Defendite vos, nam nequaquam eo quod concussioni concesseritis, libertatem vobis ablatam recuperabitis. Resistite, quia vos filii Dei scitis stare a parte vestrâ Dominum temporis et historiae, non catervam corruptam malo servientium.

### **Vos tractari tamquam homines expulsos**

Vobis, Homines Grandaevi atque Aegroti, qui cogimini ut vitam degatis in gerontocomiis aut nosocomiis; vobis, qui estis a familiis vestris et affinibus disiuncti et a quibusdam medicis istorumque subadiuvis tractamini tamquam expulsati, vobis dico: Nolite superari solitudine vestrâ, nolite vos dedere desperationi animique laesi iacturae! Vestris passionibus suadeo, ut utamini, cum eas sacrificatis Domino cum eius passionibus coniunctas, ut vobis dimittantur peccata vestra, ut remuneremini facinora in Deum facta, sed etiam, ut preces ei offeratis pro hominibus errantibus et temptatis et animabus in purgatorio patientibus. Orate! Orate Virginem Beatissimam, ut vos adiuvet vosque protegat. Orate rosario Matremque Dei precamini, ut servet patriam vestram, caram vestram patriam, totumque orbem terrarum servet ab isto flagro infernali. Precamini Sanctos, ut sint vobis amici sintque vobis propinqui horis silentii et solitudinis. Precamini Angelos, ut custodiant alios aegrotos, ut illi accipiant sacramenta et gratiam confessionis mortisque sanctae cum solacio sacerdotis accipiendae. Offerite vestras passiones, timores, lacrimas Domino nostro, et is mercedem vobis dabit pacis suae sanctique sui obsequii erga voluntatem suam. Ne umquam desinatis curare, ut gratiam Dei adipiscamini; nam non est datum vobis ut sciatis diem et horam.

Vobis omnibus, qui parati estis bonam pugnam pugnare pro veritate et pro istâ suppressione nocturnâ dystopicâ finiendâ; vobis, qui patimini verba irrisoria atque increpatoria ab illis dicta, qui vos contendunt societati nocere, solâ eâ de causâ, quâ vos ipsi non subiciatis experimentis massalibus, dico: Nolite ab incepto desistere! Istud figmentum fraudis atque mendaciorum sceleratissimum non diu perdurabit, nam nihil nos



liberabit nisi veritas. Eo quod pro veritate pugnat in honorem Dei, tenebras fraudis superabitis, malos fines revelabitis illorum, qui se ipsos principes fecerunt, proditores corruptos patefacietis. Ne temptemini ab illis, qui brevi ante ruinam receptaculi sui sceleratissimi vobis fumum faciunt contententes nil prodesse vestram luctam, nil prodesse vestram pugnam. Isti vobis narrant vos aliquot milia tantum esse, vos esse minoritatem, se venturos esse ad vos ostiatim, ut vos exigant „fumigando“, vos esse desertores. At sufficit semel tantum oculos conicere in homines illos, quorum ordines longi exspectant ante pharmacopolia et sedes probam coronariam faciendi, aut in locos negotiationum et scholarum et magistratuum publicorum et nosocomiorum vacantes, ut cognoscatur nos multo plures esse quam esse nobis praetexitur. Sed nisi hoc respicimus, nos non valemus numero nostri, sed eo quod rectum bonumque statuimus idque fortiter defendimus.

### **Ab historicis vos celebratum iri heroes**

Si istius sceleris auctores in ius vocati et aliquando condemnati erunt, Historia vobis neque ulli alii gratias aget pro vestrâ constantiâ atque fidelitate. Historia non aget gratias istis, qui vos emarginaverint et detrimentosê discriminaverint vosque dixerunt societati nocere. Historia non gratias aget illis, qui vos concusserunt et operâ et iustâ mercede privaverunt. Historia non gratias aget illis, qui homines fraudaverunt praetexentes serum experimentale, quod est inefficax et periculosum, immo mortiferum, esse securum atque innocens. Historia non gratias aget illis, qui male abutuntur confidentiâ hominum simplicium, qui animadvertent se fraude in morbum incidisse et detrimentum cepisse. Constantes estote et resistite oculis in Deum coniectis, quem nominamus nostrum „Patrem“, quia nos diligit et protegit tamquam pater diligens neque umquam nos deserit.

At si haec examina vobis videntur dolorosa et intolerabilia, cogitate eadem nihil esse nisi libamenta Novi istius Ordinis Mundi infernalis, ex quo Iesus Christus et omne signum fidei catholicae erunt expulsati. Convertite vos ad Deum! Cognoscite pacem et harmoniam et opulentiam neque posse accipi praeceptis Dei frangendis neque maledictis in nomen eius conferendis neque peccatis legitimandis neque vitiis celebrandis. Vera pax, quae est

stabilitas ordinis et speculum iustitiae divinae, nusquam paritur nisi ibi, ubi regit Christus Rex, ubi lēges congruunt cum bono et ubi omnis disciplina omnisque ars directa est in maiorem gloriam Dei.

**Cari Fratres atque Sorores,**

adhortor igitur vos, ut sanctum hoc Natale Domini celebretis verâ eius spiritualitate completi. Sinite filium regium nasci in corde vestro et Festum incohate bonâ confessione atque communionem religiosâ. Cogitate de animâ, et Dominus curabit cetera. Cogitate de Familiâ Sacrâ, quae e deversorio expulsa coacta est speluncam petere refugium. Utinam sint eius paupertas consecrata eiusque seiunctio vobis solacio. Cum infirmi et egeni ex societate sint expulsi et emarginati, Magnificentia Dei cum Choris Angelorum supra praesepe et dona pastorum simplicia et Trium Magorum Sanctorum eluscescit lucidissimê. Collocemus nos omnes in aliquem angulum huius speluncae et consideremus, quâ caritate infinitâ Persona Altera Trinitatis Sanctissimae commota sit, ut homo fieret et mediam inter hominum passionem et ab incunabulis se praepararet ad Sacrum Redemptionis offerendum.

Vobis omnibus toto ex corde exopto Sanctum Festum Natalicium. Festum autem Natalicium, quod reverâ sanctum est, si sciatis idem celebrare prope Iesum Infantulum. Festum Natalicium, quod non fit in solitudine et tribulatione, sed in communitate Sacrae Familiae benedictâ et in gaudio Nativitatis Redemptoris Mundi. Vos benedico toto ex corde.

**+ Carolus Maria Viganò, Archiepiscopus**

d.19. m.Dec. a.2021

Dominicâ IV Adventûs



**ECCE INSIGNE HERALDICUM  
ARCHIEPISCOPI  
CAROLI MARIAE VIGANÒ**

**NUNTIIUM NATALICIUM  
ARCHIEPISCOPI  
CAROLI MARIAE VIGANÒ  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**

## ALTERUM CHRONOGRAMMA RÖSSLERIANUM



CASPAR MELCHIOR BALTHASAR  
REGES SAPIENTES TRES EX ORIENTE  
IESU INFANTI DONA CONSECRANT

20 - C + M + B - 22

HOC CHRONOGRAMMA CONFECIT  
TOBIAS RÖSSLER

## KALENDAE MAIAE

*Novis de rebus narratiuncula a Simone Carmiggelt narrata,<sup>1</sup>  
a Johanne Knijff in Latinum conversa.*

Kalendis Maiis ille mihi vênit in mentem – memoria non prorsus iucunda.

Ulco qui vocabatur tabellarius erat noster. Non hesterno die, sed anno 1933, munere cum fungerer apud acta diurna socio-democratica Hagensia. Ipse “nuntius” vocabar “iuvenissimus.” At Ulco erat etiam iunior. Quindecim annorum catlaster, socius orthodoxus Gregis Operariorum Adulescentium. Nihilominus exiguam accepit mercedem hebdomadalem.

“Nihilominus” dico, quod nuntiorum grex noster multo nimis parvus niti consuêrat consodalibus rerum novarum causâ gratis operam dantibus. Erant equi donati, quibus dentes nullo modô erant inspiciendi. Photographus noster, curator transviariae raedae rude donatus novarum rerum studiosus, instrumentis usus est obsoletis. Tot tripedes ei erant extendendi ut, omnibus tandem paratis ad imaginem captandam, res in saecula saeculorum servanda plerumque iam evanuisset.

Alius rudiarius, officio tabellarii publici iam pridem solutus, pro nobis de variarum societatum vespertinis nuntiare solebat conventibus, nullâ umquam acceptâ mercede, stilo autem anterioris saeculi. Usque, dico, ad id tempus quo ipse munere accepto officium istud ab eo recepi. Coram me dux noster hominem fecit certiore nobis posthac laboribus eius idealistis opus non futurum. Pallescere, malo histrioni tragicomoediam obsoletam agenti haud dissimilis desperatê ferire caput, exclamare: “At, mi optime vir – sic numquam posthac causa mihi erit vesperi domo egrediundi.”

En summa summarum quam umquam audivi collectissima verbi matrimonii.

Ulco inter mercennarios numerabatur, nam integros laborabat dies, vespertinis haud raro superadditis horis. Tunc temporis relatores commentarios scribere consuêrant “ad prelum paratos“. Cum in iudicio versarer, scivi Ulconem semel in horâ surrecturum paginas conscriptas a me acceptum quas, birotâ vectus vexillo rubro Gregis Operariorum Adulescentium ornatâ, in actorum ferret aedificium.

Accuratissimus erat tacitissimusque. Etiam sine isto vexillo statim germanum cognovisses Gregis Operariorum Adulescentium sodalem – crinibus flavis, bonâ valetudine, oculis praeclaris, bracisque semibrevibus indutus, quae cum ita essent, is semper videbatur ad ignem contendere mediis in castris ardentem, particeps ut esset colloquii puri boni honesti, posteaque carmen audiret socialisticum a Margaritâ Vulpiâ<sup>2</sup> compositum. At continenter in actorum aedificium contendebat.

Dominus Petri, urbanarum rerum nuntius noster atque negotii praeceptor meus, vir fuit salsissimus, quaque diei horâ merum olens. Multis iam ante Iacobum Merividarium<sup>3</sup> annis alteram scripserat versionem cantici cui “Internationale” nomen, quam saepius canere ordiebatur. Ecce versûs quos memoriâ adhuc teneo: “En sodales, in tabernâ iam temetum exspectat nos!”

In nuntiorum conclavi iuxta mensam eius scriptoriam ingens charta parieti erat affixa. Erant eius acta diurna parietalia. Multa variaque illis affigere consuêrat. Imaginem compositam domini doctissimi Albardae, ducis Factionis Socio-Democraticae, duabus puellabus memorabilibus comitantibus quas excîderat Petri ex libello hebdomadali ad res balneares pertinenti cui *Risus* nomen. Titulum ex actis nostris excerptum verbum continentem illius Wibaut<sup>4</sup> quod paucis vocabulis demptis sensum acceperat obscenum. Vel etiam nuntiola quibus inerant errores typographici male fortunati, sicut hoc: “Diebus festis aestivis Societatis Operariorum Radiophoniae Studiorum placidum erat initium; at cum Lina Annulaque Mierevelt<sup>5</sup> in scaenâ magnâ futuissent multa milia confluxêre hominum.” Lectorem expertum certê non fûgit redundare syllabulam *tu* in medio vocabulo *futuissent*.

Kalendis Maiis appropinquantibus factioque operariorumque societas dictum promulgebant hoc: “Kalendis Maiis otiumst nobis.” Actis nostris multis paginis de festis deque orationibus die laboris habitis repletis, ille autem titulus nullo modô ad nuntiorum gregem pertinebat, nam nobis multo magis strenuê solito laborandum erat.

Pridie Kalendas Maias horâ ferê quintâ pomeridianâ munera divisit dux noster. Etiam Ulconi multa erant perficienda. Conventu peracto dominus Petri pueriliter subridens chartulam actis suis parietalibus affixit cui ipse



verba inscripserat: “Kalendis Maiis otiumst nobis, exceptis nobis.” Risum movit. Ipsi Kalendis Maiis multo iam mâne praesto eramus. Ipse scribebam *saccum* qui vocabatur, duarum columnarum prooemium ad ipsum magnum de festis Kalendarum Maiarum nuntium, cum Petri “Pro Iuppiter!” exclamat. “Desunt acta parietalia!”

Omnes locum vacuum iuxta mensam eius scriptoriam contuiti sumus. Auditaque lenis Ulconis vox “Equidem feci,” dicentis; “scissa abieci.”

“Ain’ tu, verbero?!” clamavit Petri. “Quorsum fecisti istud?!”

“Indignum erat,” Ulco. “Non oportebat talia scribere.”

Stabat in conclavi desolatissimus, capite levato. Socius Gregis Operariorum Adulescentium haud ignarus quorum scribere non oporteret, quique sanctis Kalendis Maiis tributum praebuerat suum, destructis omnibus quae ludibrio haberent summa rerum novarum consilia.

**HANC NARRATIUNCULAM  
SIMONIS  
CARMIGGELT  
E BATAVICO SERMONE  
IN LATINUM CONVERTIT  
IOHANNES PETRUS  
KNIJFF**

<sup>1</sup>“1 mei,” e libro cui index *Vroeger kon je lachen* (Amstelodami: ex Typis Operariorum, 1977). Aliae narratiunculae Carmiggeltianae a nobis in Latinum conversae sunt “Adventores,” *Epistula Leonina* 171 (2018); “Domnula Truda,” *EL* 179 (2018); necnon “Anno exeunte,” *EL* 185 (2019)

<sup>2</sup>vulgo Margot Vos (1891–1985), poetria socialistica Batava.


<sup>3</sup>vulgo Jaap van der Merwe (1924–1989), auctor scurraque Batavus, qui anno 1971 scripsit illius cantici versionem “modernam” quam vocavit.

<sup>4</sup>Florentinus Wibaut (1859–1936), sodalis Factionis Socio-Democraticae haud parvi momenti.

<sup>5</sup>Nomina quod speremus ficta.

# **CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA**

**Zum 6. Januar, dem Fest der Erscheinung des Herrn (Drei-Könige):**



**Anbetung der Könige, Wiener Hof- und Herzogenwerkstatt, 1380/1390,  
Kunsthistorisches Museum, Foto Hildegard Schuhmann**



„Victoria & Albert Museum, London“ aus einem Walfischknochen, nordöstliches Spanien, ca. de 1120-1150, Kopie des Originals im Missionsmuseum Cruzeiro do Sul

2022\* sapIentes Caspar, MeLChIor et BaLtassar VenIentes eX partIbVs orIentIs obtVLerVnt pIe IesV InfantI RegI orbIs terrestrIs Dona aVrI et thVrIs et VngVentI aCerbI. – Die Weisen Caspar, Melchior und Baltassar, die aus dem Morgenland kamen, brachten dem Jesuskind, dem König des Weltalls, fromm Gold, Weihrauch und bittere <Myrrhen>salbe als Geschenke dar. – Die bittere Myrrhe (vom bitteren Geschmack hat sie ihren Namen) wurde zur Bereitung der Salben beim Einbalsamieren gebraucht, darum im Chronogramm „bittere Myrrhensalbe“ anstelle von einfach Myrrhe.



Santa Maria sopra Minerva, Trastevere, Rom Foto: Hildegard Schuhmann

2022\* eIa, VenIte festInanter, eIa, Vos prIMIItIae paganorVM. – Wohlauf, eilt hurtig herbei, ihr Erstlinge der Heiden!





St. Denis: Anbetung der Könige



Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

**HAEC PIA CHRONOGRAMMATA  
CONFECIT  
P. HERBERTUS DOUTEIL**



# GLOSSAE

## ORBIS PICTI HEXAGLOTTI (III)

### aciēs dīhelicōīdālis

394

*Schlangenbohrer mit doppeltem Gewindengang - double-twist auger bit - mèche hélicoïdale à double torsade - broca salomónica de canal angosto - meccia a doppia elica*

Acies dihelicoïdalis sunt instrumenta fabrilia, quibus lignum terebratur. Quae sunt, si comparas cum aliis terebris lignariis, longiores ideoque in parte media, ut scobes melius efferatur, similiter constructae sunt ac cochlea Archimedis.

### aciēs fīxa

537

*festgestelltes Messer - fixed blade - lame fixe - cuchilla fija - lama fissa*

### aciēs helicōīdālis

394

*Schneckenbohrer - solid centre auger bit - mèche hélicoïdale à âme centrale - broca helicoidal central - meccia a tortiglione*

Acies helicoidalis est simplex instrumentum fabrilis, quo lignum aut totum perforatur aut ita foratur, ut foramini acie helicoidali effecto postea inseratur cochlea.

### aciēs īnferior

539

*Fußsteg – tail edge – tranche de queue – canto del pie – taglio inferiore*

In arte typographica acies sunt eae partes paginae, quae typis sunt liberae. Sunt enim acies superior et inferior et duae laterales.

### aciēs lāminae

477

*Schneide - cutting edge – tranchant – filo - filo della lama*

### aciēs mōbilis

537

*Obermesser – cutting blade – lame mobile – cuchilla móvil – lama di taglio*

### aciēs palācea

394

*Flachfräsbohrer - spade bit - mèche à centre plat - broca de pala - meccia a lancia*

Acies palaceae sunt instrumenta machinae terebratoriae manuali imposita.

### aciēs sectōria

758,760

*Schneidkante – cutting edge - bord tranchant - cuchilla de corte - tagliente*

**aciēs \*trypanostrophii**

394

**Schrauberbit – screwdriver bit - embout de vissage - broca de atornillado - mecchia**

Acies \*trypanostrophii est instrumentum fabrile est lamina cochleostrophii manubrii expers, quae est permutabilis.

**acīnacēs, -is m.**

886

**Säbel - sabre – sabre – sable - sciabola**

ThLL 01,413,47-61 I) p. 544, 3. V. **acīnacēs**, -is, m. ἀκινάκης. PORPH. Hor. carm. 1,27,5 gladius Parthicus, sed nunc pro omni gladio positum. GLOSS. IV 477, 33 pugio Part<h>icus. V 339, 26 acinaces gladii (sic). *hucine pertinet* IV 215, 32 canacem gladium (κάννακις *Hesych.*)? cf. V 494, 9 caucem 5 gladium. POMP. gramm. V 284, 23 acinaces dicimus lingua Medorum gladium cf. CONSENT. gramm. V 886, 25 et HoB; paullo infra. *no-min.*: acinaces: FLOR. epit. 2, 21, 3 (IORD. Rom. 252) POMP. l.c. CONSENT. gramm. V 364, 9 GLOSS. nota: HOR. carm. 1, 27, 5 Medus acinaces *F L*, acinacis *cett.* PORPH. ad l. gen.: CVRT. 3,3, 6 vaginam acinacis Persicam. acc: acinacem: CVRT. 3, 3,18. 7,4,19. 8, 3, 4. 10,1, 31. ARNOB. nat. 6,11 ridetis temporibus priscis... coluisse... acinacem Scythiae nationes. acinacen: TAC.ann. 12,51 ITIN. Alex. 9 (anicen *cod.*). *abl.*: CVRT.4,15,30 acinace stricto (5,9,10). VAL.FL.6,701 insignis manicis, insignis acinace dextro. & v. Droysen, PW. 11168. *Diehl.*

**FORCELLINI: ACĪNĀCĒS**, is, m. 3. (ἀκινάκης) **gladius Persarum, sive Medorum, et Scytharum proprius, brevior (ξίφιδιον vocat Pollux 1. 10.) et Romanorum pugioni similis, retro tamen aliquantum curvatus, qui aptabatur femori, et fortasse etiam dextero, non sinistro, ut Lips. 3. Dial. 1. Analect. ad Milit. Rom. innuere videtur. Hinc Val. Flacc. 6. 701. Insignis manicis, insignis acinace dextro. Curt.3.3.18. Vaginam acinacis Persicam mutari jussisse in eam formam, qua Graeci uterentur. Horat. 1. Od. 27. 5. Vino, et lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat! ¶ 2. Acinacem coluisse tamquam Deum Scythicas nationes narrat Arnob. 6. p. 196.**

**Acinaces est leve telum caedendi et pungendi. Acinaces classicus fuit incurvus et uno tantum latere samiat. Hoc fuit telum typicum equitum levium, velut husarorum. Hodie acinaces adhibetur in digladiatione athleticâ. At is nomine excepto vix aliquâ re similis est illis telis historicis.**

**\*acīnonyx, acīnonycis m.**

181

**Gepard - cheetah – guépard – guepardo - ghepardo****etymon.** Hoc nomen scientificum a.1828 a zoologo Britanno nominis *Joshua Brookes* confictum est. Duae explicationes a *Rosevear* indicantur:

1. ex verbis graecis, quae sunt: ἀκίνα 'spina' et ὄνυξ 'unguis'; quae explicatio spectat ad unguis huius bestiae vaginis non circumdatos;
2. ex verbis graecis, quae sunt: ἀκίνητος 'immobilis' et ὄνυξ 'unguis'; quae explicatio spectat ad unguis, qui falso credebantur non esse retractiles.

(v. *D.R. Rosevear, The Carnivores of West Africa, London, Natural History Museum, 1974, p.492.*)

**synonymon. lycāōn**, -ōnis m. [PLIN.nat.8,123] cf. Helmut Leitner, Zoologische Terminologie beim älteren Plinius, Hildesheim 1972, p.160, s.v. *Lycaon*: Leitner dicit descriptionem Plinii brevioris esse, quam ut species huius bestiae zoologica possit determinari: 'Mutat colores...nec aliud...nisi in Indis lycaon, cui iubata traditur cervix.' *Steierum* putare *Lycaonem pictum* (i.e. theodisce «Hyänenhund») a Plinio hōc loco commemorari; sed tales canes, qui essent luporum magnitudine, habitare in tesquis africanis, quae sita sint in directione australi a deserto, quod appellatur *sahara*. Cum Plinius indicet Indiam esse patriam lycaonis, *Leitner* assentitur *Cuviero*, qui dicit lycaonem Plinianum fuisse subspeciem *Acinonycis asiaticam* (*Felis iubata* = *Acinonyx iubatus* ssp. *venaticus* = *Cynailurus iubatus*, *Brehm*). Ceterum hanc bestiam in cervice habere capillos longiores quam in corpore reliquo; hoc congruere cum verbis Plinianis: *iubata cervix*.

**litteratura.** Michael Hirschler, De acinonyce iubato apud Graecos antiquos alito, *Vox Latina* 203 (2016), p.110-121.

id. p.110: «*Acinonyx iubatus ...est species familiae Felidarum, quae zavanas Africanas inhabitat. Liberis cum quaestio ponitur, ut nonnulla animalia in Africa viventia nominent, paene omnes non solum et leonem et camelopardalem et elephantum vocaturos esse, sed etiam acinonycem iubatum opinor. Sine dubio intra Africae animalia notissima numeratur. Num quis nostrum huius animalis effigiem, cui corpus gracile et pellis luteola suffuscaque maculis nigris obsita est, ante oculos non habet? Omnes nostrum novisse acinonycem iubatum omnium animalium terrestrium velocissimum esse mihi persuasum est. Omnia clara notaque. Sed solum pauci sciunt animalia propter eorum naturam commodam a hominibus facile mansuesci (sic! melius: mansuescere aut cicurari) possunt. Alterum quoque acinonycis iubati nomen est «leopardum venaticum» (adn. sic! Sed genus masculinum videtur praeferendum). Profecto iam temporibus antiquis et apud Mesopotamiae gentes et apud Aegyptios acinonyces iubati domiti sunt, ut hominibus ob velocitatem suam in venatione adessent. Deorum honores immo vero acinonyci iubato apud Aegyptios tributae sunt, cum dea quaedam, quae *Mafdet* vocatur, in huius animalis specie saepe culta esset. Homines autem acinonycibus iubatis non solum venandi causa usi sunt, sed etiam tamquam animalia in domibus alenda, ut possessoribus suis, qui pharaones Aegypti imprimis fuerunt, gaudii afficerent... In Europa mediaevali acinonyx iubatus non erat ignotus. Nonnulli enim Europaei principes, ut *Carolus Magnus* (747/748-814) sive *Fridericus II* (1194-1250) sive *Carolus I. Siciliae* (1227-1285), talia animalia possidebant. Et ex. gr. in India homines illis animalibus longe usque ad tempora nostra in venando usi sunt...Scimus...acinonyces iubatos non solum apud Orientis vicini gentes alitos esse, sed etiam vero apud Graecos antiquos. Hoc vero est incredibile auditu, sed quasdam imagines varias in vasibus Graecis pictas ex saeculo sexto et quinto a.Chr.n. novimus, in quibus acinonyces iubatos cum viris iuvenibusve Graecis videmus...»*

Haec hactenus verba *Michaelis Hirschler* de acinonyce facta. Dolendum autem est, quod idem auctor neolatinus nullum invēnit nomen acinonycis graecum aut latinum satis accuratum et exactum ipsâ in antiquitate exortum, sed affert nomina magis generalia, quae spectant ad varias bestias familiae Felidarum participes: πάνθηρ et πάρδαλις et leo et tigris. Ceterum bonus Michael secundum sententiam *Koch-Harnackii* putat acinonycem iubatum fuisse unum ex illis

animalibus, quae donum in consuetudine *paederastiae Graecae* adhibita sint. Amatorem, cum dona pretiosa dederit, inter quae e.g. fuerint animalia (ut lepores, gallinae, testudines), sibi gratiam adulescentuli amati conciliare conatum esse. *Koch-Harnack* opinatur adulescentes Graecos cum acinonycibus, quos ab amatoribus donatos accepissent, venatos esse. Desunt autem imagines antiquae, quibus talis usus donandi certo demonstratur.

*Acinonyx iubatus* est animal mammiferum rapax, quod praesertim vivit in Africâ et spectat ad familiam Felidarum. Quae bestiae ratione venandi specialiter excolta insignissimae sunt omnium huius mundi bestiarum terrestrium velocissimae. Plerique acinonyces vivunt in Africa, sed olim tales bestiae inhabitaverunt regionem, quae pertingebat ab Africa boreali per Asiam centram usque ad Indiam. At hodie asiatica subspecies (*Acinonyx jubatus venaticus*) tantummodo invenitur in Iraniâ idque rarissimè: Cuius in terrae asiaticae parte boreali computantur esse minimum 60, summum 100 individua huius subspeciei. Nonnulla eorum instructa sunt torquibus electronicis, quibus inveniantur.

**Structura corporis.** Pellis acinonycis colore est aureo-flaveolo, in parte ventrali plerumque insigniter lucidiore. Quae conspersa est maculis nigris, quae insigniter minores sunt quam maculae leopardi nec efformant formas rosularum. Facies est obscurior et immaculata, sed duabus virgibus nigris, quae pertingunt ab oculis ad angulos oris (*virgae lacrimarum* quales dicuntur). Quatenus spectat ad maculas, acinonyx leopardo est similis, sed statura ab eo valde differt necnon ab omnibus felidibus ceteris. Acinonyces sunt pedibus perlongis et tenuibus et corpore valde gracili, quod persimile est corpori canis vertragi. Caput acinonycis est parvum et rotundum, cauda longa. Branchiae eorum gerunt soleas crassas et squamatas; falculae retrahi non possunt nisi conditionaliter (inde nomen videtur confictum esse, sed quidam zoologus dicit retractilitatem unguium nullo modo esse deminutam, v. supra s.v. etymon!) Propter structuram corporis acinonyx est animale terrestre omnium velocissimum. Qui currendo assequitur velocitatem 93 chiliometrorum horalium, sed hanc velocitatem enormem tenere non potest nisi per unam vel duas secundas. Media velocitas summa acinonycis cursitantis est velocitas 53,11 chiliometrorum horalium, i.e. insigniter minor velocitas quam summa usque nunc mensurata. Hoc explicatur eo, quod nimia velocitate continua motiones minus bene possent dirigi vel gubernari. Anatomia acinonycis etiam aliis in rebus accommodata est ad velocitatem efficiendam: eius meatûs nasales sunt valdè dilatati; quo fit, ut paulum loci restet dentaturae imponendae, quae si comparas cum dentaturis aliarum felium, est multo minor et minus apta ad impetum et defensionem. Pulmones autem et bronchia et glandulae adrenales sunt multo maiores quam aliarum felium. Acinonyx capitis truncique longitudine est 150 centimetrorum, caudae 70 centimetrorum. Altitudo umeri est 80 centimetrorum. Adversus hanc staturae proceritatem pondus habet 60 tantum chiliogrammorum.

**Consuetudines sociales.** Acinonyces vitam agunt diurnam, non nocturnam. Ita impediunt, ne incidant in leones et leopardos et hyaenas vitam nocturnam degentes, quae similem praedam necnon catulos acinonycum cupiant devorare. Iidem sunt socialiores quam pleraeque felidae aliae. Acinonyces feminae plerumque vivunt solitariae – excepto eo tempore, quo secum ducunt catulos. E contrario mares vivunt gregatim, plerumque fratres bini aut terni. Raro inveniuntur greges acinonycum maiores, quorum participes sunt summum quindenii. Mares et feminae non inter se conveniunt nisi ad prolem propagandam et post coitum mox discedunt. Fines venatici indicantur mingendo.

**Prolis propagatio.** Acinonyces pubescunt tres annos nati. Gestant per 95 dies, pariunt plerumque catulos saltim unum, summum quinque. Sed interdum etiam pariunt octo catulos. Femina eos parit in caverna, in qua remanent per octo fere septimanas. Hoc necessarium est, quia acinonyces infirmiores sunt, quam ut prolem bono cum successu defendant contra feles maiores – i.e. leonem et leopardum et hyaenas. Catuli in dorso habent pilos longos argenteos, quos verisimile est utiles esse ad mimesin protectoriâ quosque post tres menses amittunt. Adversus haec tutamenta naturalia mortalitas catulorum intra primum annum vitae est magna; plerumque iidem praeda fiunt bestiarum rapacium. Primo spatio vitae superato acinonyces aetatem assequi possunt quindecim ferè annorum.

**Nutritio et venatio.** Varietas bestiarum, quas acinonyx solet praedari, non est magna. Qui praefert bestias unguatas minores, quales sunt dorcades et nesotragi. In Africa orientali acinonyces fere nihil devorant nisi eudorcades, nangeres, aepycerotes. Tales anthalopi cum leves sint multo faciliores sunt superato quam adulti hippotigrides aut connochaetae, quas acinonyx vix umquam potest praedari. Sed earum catuli interdum superantur ab acinonycibus gregatim venantibus. Generaliter acinonyces celerrime venantes praefert bestias, quae sunt pondere sexaginta chiliogrammis minore. Tempore egestatis acinonyx venatur etiam lepores et cuniculos et aves.

**Venatio.** Acinonyces cum venantur, primo solent arreperere ad bestias praedandas usque ad distantiam, qua sperant se currendo posse praedam assequi. Deinde impetus fit velocitate circiter 60 chiliometrorum horalium. Velocitas summa omnium etiam in testimoniis scientificis varie indicatur: a 93 usque ad 102 chiliometra horalia. Prope praedam acinonyx cursum sum rapidissimum aliquanto refrenat, ut melius reagat, si bestia praedanda subito cursum mutaverit in adversum. Sive venatio bene sive male successit, post aliquot centum metra i.e. post spatium medium 38 secundarum est finita. Bestiam praedandam assecutus acinonyx plerumque conatur efficere, ut eadem brancis correpta titubet et delabatur. Deinde dentibus gulam comprimit. Ergo acinonyx non mordendo dissecat vertebrae cervicis collique, sed bestiam suffocat. Portione sua impetuum felicium, quae est saltim 50, summum 70 partium pro centum, acinonyx superatur a nulla alia bestia rapaci sola venanti. Post praedationem acinonyci defesso primum est corpus recreandum, antequam potest praedam devorare. Hoc autem spatio recreationis fieri potest, ut acinonyci praeda rapiatur ab aliis

bestiis rapacibus robustioribus, quales sunt crocuta (quod est genus hyaenarum) et leo et leopardus; necnon ipse hōc tempore est in quodam periculo.

## **GLOSSARUM**

### **ORBIS PICTI HEXAGLOTTI**

#### **PARTEM TERTIAM**

#### **CONSCRIPSIT**

#### **LEO LATINUS**

# MALUM SIBI AVIS CACAT

## PLAUTUM DEVITARE VERBUM CACANDI



**ECCE TURDUS VISCIVORUS, QUI SEMINA VISCORUM VORATORUM CACAT ADHUC FERTILIA EOQUE IPSE BACAS DISSEMINAT, E QUIBUS AUCUPES GLUTEN FABRICANT VIRGIS ALLINENDUM.**

cfr Otto Keller, Antike Tierwelt, tom.2, Leipzig 1913, p.77, s.v. Drossel: “Auf die Misteldrossel, die zugleich mit dem Krammetsvogel (Wacholderdrossel) zur Winterszeit scharenweise in den Wiesen einfällt (Graf v.d. Mühle 63), geht es hauptsächlich, wenn ein derbes Sprichwört sagte: **der Vogel kackt sich selber sein Verderben, malum sibi avis cacat** (Otto, röm. Sprichw. S.52) ; denn mit den Mistelbeeren, welche die Drossel frißt und keimfähig wieder von sich gibt, wird gerade die Pflanze verbreitet, mit der die Vogelsteller ihre Leimruten bestreichen.“


**cfr Thesaurus linguae Latinae 3,8,32-66 s.v. cacō, -āre**

ThLL 3,8,32-66 **caco**, -āvī, -ātum, -āre [cf. *c. hibern.* cacc ‘excrementum’, caccaid ‘cacat’, gr. κάκκη, κακκάv. Th.] GLOSS.χέζω, ἀφοδεύω. *Habent Atellanae et mimorum auctores, deinde CATULL. et satura inde ab HOR., praeterea medici et INSCR., at deest in comoedia, devitat PLAUT. consulto, v. infra l.64 ...*

(lin.64) c *proverbialiter: cacando sibi contrahere: ISID.orig.12,7,71*

**proverbium apud antiquos erat, malum sibi avem cacare** (sc. *turdulam, de cuius fimo viscus fit; at PLAUT.frg.inc.47 ipsa sibi avis mortem creat, ad proverbium alludens devitat cacare*). v. Otto, *Sprichw.52.*

## DE LATRINIS SECESSIBUS SELLISQUE FAMILIARICIS ANTIQUIS ET MODERNIS



<https://de.wikipedia.org/wiki/Toilette>

*Secessus* sive *latrina* sive *lavatrina* est cella aut conclave, quo homines eunt ad *requisita naturae*, id est, ubi *alvum et vesicam exonerent*. Sella, cui homines insident hoc facientes quâque *stercus* et *lotium* recipiuntur, appellatur *sella familiarica* sive *sella pertusa*.

In *foricis*, id est latrinis publicis, quae viris offeruntur adhibendae, plerumque praeter sellam familiaricam sunt etiam *vasa urinalia* parietibus affixa. A. 2001 condita est organisatio latrinarum mundana, quae sibi proposuit, ut condiciones hygienicas meliores faceret et diem *19. m. Nov.* dixit *diem latrinarum mundanum* quotannis celebrandum. A.2019 ubique terrarum e denis hominibus seni expertes fuerunt *secessûs hygienici* adhibendi; in summâ 2,5 miliardae hominum!





## Nomina secessûs Latina et theodisca, propria et euphemistica<sup>1</sup>

Romani habuerunt *lavatrinam* sive *latrinam*. Publica latrina appellabatur *forica*. Nomen *secessûs* invenitur in Novo Testamento bibliae apud Matthaeum evangelistam (Vulgata, Matthaeus 15,17). In litteris mediaevalibus neolatinisque inveniuntur *locus munditiarum*, *locus necessitatis secretae*, *camera necessaria*, *camera privata*. *Secreta munditiarum* est nomen neolatinum ab Antonio Freire Lusitano sive Portugallo confictum<sup>2</sup>.

Apud Lucilium *latrina* (i.e. *lavatrina*) est adhuc locus lavandi, postea fucos verborum sic appellatur locus cacandi. In sermone populari etiam *culina* est euphemismus huius sensûs (GLOSS.V,594,67; IV.326,34). Valerius Maximus (IX 13,2) latrinam appellat *locum sordidum*. Apud Plautum (Curculio II 3,83) legimus: *ire quo saturi solent*. Etiam *secessûs* nomen biblicum (i.q. locus, quo seceditur) est similis fucus verbi.

Pro *mingendo* inveniuntur euphemismi qui sunt: *vesicam exonerare* (Petronius), *urinam reddere* sive *facere*. Verbum peregrinum est *urina*, quod adhibetur loco *lotii* verbi verê Latini.

Cassius Felix numquam utitur nomine exitûs intestinalis, q.e. *ânus*, *-î m.*, sed denominat hanc partem corporis *podicem*, et pro *inguinibus* ponit *sexum*. Plinius maior et Apuleius pro *ano* dicunt *sedem*, Caelius *sessionem*. Nomen *culi* videtur semper habitum esse pro obscaeno atque indecoro, vix quisquam auctor Romanus isto utitur exceptis Catullo atque Martiali impudicissimis. Iidem quoque non verentur, ne utantur verbo *cacandi*, quod Plautus numquam, Horatius semel tantum adhibet in *Sermonibus*. Ceteri auctores *cacationem* solent denominare verborum circuitationibus, quales sunt: *ventris onus ponere* (Celsus), *alvum* vel *ventrem exonerare* (Plinius et Suetonius), *alvum levare* (Valerius Maximus), *suae rei causâ facere* (Petronius 47; 66), *sedere* (Marcellus Empiricus 29), *necessitati parêre* (Cicero), *pro necessario venire/peragere necessarium* (Mirabilia Romae c.40 et 39 P.). Plinius Scribonius pro *cacando* dicit (mirâ cum decentiâ!) *desurgere* (i.e. propriê post cenam surgere). *Adsellari* est euphemismus, qui spectat ad sellam familiaricam,

<sup>1</sup> Otto KELLER : Grammatische Aufsätze. Leipzig 1895, p.154sqq.: Euphemismen. p.178-181: Körperteile und Functionen - Verdauung.  
[https://books.google.de/books?id=eSC0AAAAMAAJ&printsec=frontcover&hl=de&source=gbs\\_ge\\_summary\\_r&cad=0#v=onepage&q&f=false](https://books.google.de/books?id=eSC0AAAAMAAJ&printsec=frontcover&hl=de&source=gbs_ge_summary_r&cad=0#v=onepage&q&f=false)

<sup>2</sup> cfr Christian Helfer, Lexicon Auxiliare, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.313, s.v. Klosett, et António Freire, Conversacao Latina, Porto (Livraria Apostolado da Imprensa) 1960.

cui insidet homo cacans (ThLL 2,850,18-24: SORAN.141; CASS.FEL.51, p.135; Ps.THEOD.PRISC. p.287,16). Caelius Africanus medicus dicit *ventrem egerere*. Euphemismus generalis, quo circumscribuntur *cacatio atque minctio*, invenitur in fragmento Historiarum Sallustii et a Quintiliano affertur exempli causâ: *requisita naturae*. Îdem fucus verborum coniungitur cum his verbis temporalibus, quae sequuntur: *ad requisita naturae secedere* (Ammianus Marcellinus), *discedere* (Spartianus), *proficisci* (Sallustius), *exire* (Augustinus). Pro nominibus propriis, quae sunt *merda*, *stercus*, *caenum* adhibentur *excrementa* (Columella), et *superflua corporis* (Caelius chron.V 4,67).

**Theodisca nomina latrinalia.** Verbum, q.e. *toilette*, e francogallico sermone in theodiscum introductum est. Quo Francogalli originaliter actiones fucandi et capillos comendi et vestimenta induendi appellaverunt; mensae comptoriae et lautoriae nuncupabantur *toilettes*. Quia mulieres aulicae habebant conclavia indutoria, ubi etiam in sellis familiaricis (theodiscê: *Leibstühle*, i.e. verbatim «sellae corporales») alvum exonerabant, nomen, q.e. *die Toilette*, primo extra Francogalliam translatum est ad secessum denominandum, idque in sermone theodisco saeculo undevicesimo et in Americanorum sermone anglico eodem saeculo exeunte. Ipso in sermone francogallico nomen *toilettes* formâ plurali sensu secessûs adhibitum est; anno 1964 demum in lexicon receptum est.

Alia nomina ad cellulam alvi exonerandae denominandam, quae in usu Germanorum aut fuerunt aut sunt aut serio aut iocoso, nunc sequuntur. Nomen secessûs in Germaniâ familiarissimum est *das Klo* sive *das Klosett* (quod ducitur ab anglico *water closet*). *Der Lokus* est nomen latrinae e Latino per ellipsin sumptum: est enim i.q. *locus necessitatis*. E nomine latrinae Latinum derivatum est *die Latrine*, quod potius spectat ad latrinas militares, *das Privé* (verbum francogallicum, quod valet privatum, secretum, familiare), *die Retirade* (francogallice *se retirer*, i.e. se recipere, cfr italicum *ritirata*), *der Abtritt* (cfr *austreten*, i.e. abire, secedere, cfr lat. secessus) aut iocosê *das stille Örtchen* (i.q. verbatim: *loculus quietus*). Nomen secessûs, q.e. *das Scheißhaus* (i.q. mesotheodiscê *schîzhûs*, i.q. valet verbatim *domum cacandi*, originaliter fuit commune et populare, sed hodie habetur pro parum decôro parumque urbano. Fodinarii prius latrinam subterraneam appellabant *die Schlotte*, quod sensu proprio fuit cavitas

saxorum aquâ solubilium. In sermone castrensi *der Donnerbalken* (i.e. verbatim: trabs tonitrualis) est latrina subdialis, in quo milites in trabe unus iuxta alterum sedentes alvum exonerant stercus in fossam post trabem sitam emittentes.

Ex his nominibus apparet, quantâ cum pudicitîâ homines loqui soleant de requisitis naturae, id est de alvo et vesicâ exonerandis, necnon clarê patet eosdem hoc facientes velle solos esse. Sunt enim haec nomina euphemismi; quae derivantur ex nominibus rerum, quae sunt in sellae familiaricae circumiectis; talibus nominibus non solet appellari vas stercoris recipiendi. Indiciis foricarum saepe inscriptus est *numerus zerotis* (0) aut *zero duplex* (00). Hoc signum ex eo exortum est, quod in deversoriis saeculi undevicesimi latrinae plerumque siti erant prope anabathra aut prope scalas. Quia ibi solebat incipere numeratio conclavium, secessûs signabantur numero conclavis zerotici sive numeri zerotis. Secessûs plerumque instructi sunt *iugo sellae familiaricae* et utensilibus, qualia sunt *situla purgamentorum* et *peniculus secessualis* et *charta hygienica* sive *latrinalis*.

### **Historia latrinae sive secessûs.**

In Mesopotamiâ iam circa annum 2800 a.Chr.n. (bis millesimum octingentesimum ante Christum natum) fuerunt lavatrinae commodê instructae. In *Mohenjo-Daro*, in urbium culturae Indi effossarum omnium maximâ, lavatrinae spectabant ad domuum instituta. In palatio Cnossensi minoico in insulâ Cretâ sito fuerunt conclavia sanitaria, cum cetera tum *lavatrinae elutoriae*.

Etiam Romanorum in usu fuerunt lavatrinae, in quibus excrementa ratione hygienicâ removebantur aquâ fluenti, praesertim in institutis publicis, divitum domibus, villis rusticis. In urbibus aetatis antiquae defluvia dirigebantur in magnos canales, qui dicebantur *cloacae*. Quarum notissima fuit *Cloaca Maxima*.

## Latrinae Romanorum



Non omni domui romanae infuit latrina, quae erat elutione aut annexu ad cloacas publicas instructa. In *insulis*, i.e. simplicibus domibus conducticiis, plerumque tantummodo sub scalis stabat magnus *lacus*. Ex alterâ parte aliae domûs instructae erant latrinis singularibus lautissimis. Praeter magnas latrinas, quae capiebant summum octoginta homines alvum exonerantes, Romani etiam habuerunt *secessum incoxatorium*, qualis etiam hodie invenitur in Francogalliâ et regionibus mediterraneis. In oppido *Albâ Fucente* mediâ in Italiâ iuxta *Viam Pilastrorum* sito talis latrina permansit. In latrinis Romanorum nulla fuerunt dissaepimenta, raro facta esse videtur sexuum disiunctio; plerumque homines (mulieres, viri, parvuli omnis ordinis) in latrinâ sedentes tunicam, pallam, togam sublatam circa se posuerant, ut plus minusve servarent decus et pudicitiam.

Quando Romae primae latrinae instructae sint, non certo scimus. Verisimile est primas aedificatas esse tempore rei publicae liberae exeuntis. Indicio est grex aedificiorum theatri Pompeii ad Plateam Turris Argentinae (*Largo di Torre Argentina*) situs, in quo apparet latrina antiqua. Sed etiam Iulius Caesar in Foro sui nominis curavit latrinam instituendam. Pleraeque latrinae Romanae, quae fodiendo inventae originem habuerunt saeculis a primo usque ad quartum p.Chr.n.



Ecce latrina in parietinis antiquae urbis Ostiae sita

Patet latrinas non aedificatas esse ad commodum publicum plebeculae urbis Romae fovendum, sed ad requisita privata hominum divitiorum explenda. Itaque nullae latrinae inventae sunt in aedificiis publicis velut in amphitheatris. Etiam quoad requisita naturae Romae inter se dividebantur divites et pauperes: Cum alii alvum exonerabant in lavatrinis lautiusculis, alii hoc faciebant ad ipsam cloacam aut ad proximum angulum domesticum. Ex inscriptionibus Pompeianis non paucis apparet incolas domorum anxios praetereuntes commonuisse, ne illi mingerent neve cacarent ad domum suam, sed ad aliam<sup>1</sup>. Ex alterâ parte Romani fortunatiores unâ sedebant in latrinis commodissimis aut domi suae in loculo secreto proprio.

In indice regionali urbis Romae saeculo quarto p.Chr.n. scripto<sup>1</sup> indicantur 144 latrinae et 253 *necessariae*, inter quae etiam sunt vasa urinaria. Quae indesinenter superfluebantur aquâ ex thermis, aquaeductibus, puteisque. Canales defluviales sub sedibus latrinarum marmoreis aut ligneis ducebantur ideoque excrementa in magnas cloacas aut statim in Tiberim

<sup>1</sup>Similiter nonnulli Bavari dicuntur implorare Sanctum Florianum patronum siphonariorum: „Sancte Floriane, parce domui meae, accende alias!“ cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Sankt-Florian-Prinzip>: „Das Sankt-Florian-Prinzip (österreichisch: **Floriani-Prinzip**) oder die **Sankt-Florian-Politik** bezeichnet Verhaltensweisen, potentielle Bedrohungen oder Gefahrenlagen nicht zu lösen, sondern auf andere zu verschieben. Die englischsprachige Entsprechung ist *Nimby*, ein Akronym für „Not in my backyard“. - Früher war es üblich, die Hilfe des **Heiligen Florian** anzurufen, der als **Schutzpatron** für die Abwendung von Feuer und **Dürre** zuständig ist. Volkstümliche Verbreitung fand ein vermeintlich frommer Spruch, der vermutlich von einer ironisch gemeinten **Votivtafel** stammt und das Prinzip prägnant erläutert: „Heiliger Sankt Florian / Verschon' mein Haus, zünd' and're an!“ - Oftmals findet sich der Heilige Florian als **Lüftlmalerer** auf Wohn-, **Feuerwehr-** oder Bauernhäusern. Meist wird er als überlebensgroße Gestalt abgebildet, die aus einem Eimer Wasser auf ein brennendes Gebäude schüttet. - Einer anderen Vermutung nach entstammt der gleiche Spruch einem **Spottlied**, das Leute vor Jahrhunderten dichteten, die zum **Salzburger Dom** wallfahrenden **Pinzgauern** abweisend gegenüberstanden.“

<sup>1</sup>cfr <https://referenceworks.brillonline.com/entries/der-neue-pauly/notitia-romae-e825310> „Die **Notitia regionum urbis (Romae) XIV**, auch **Libellus de regionibus urbis Romae** genannt, ist die ausführlichste Quelle für die administrative Gliederung der 14 Stadtbezirke und den Bestand an Bauten im ant. Rom. In ihrem Kern geht die Stadtbeschreibung auf die Zeit **Constantinus [1]** I. zurück, Interpolationen entstammen noch dem 4.Jh.“ --- cfr <http://ducange.enc.sorbonne.fr/NECESSARIA1>: „1. **NECESSARIA**, **Necessarium**, **Latrina**, **secessus**. Descriptio Regionum Urbis Romae edita a Mabillonio pag. 514: Posternæ 3. **Necessariæ** 4. fenestræ majores forinsecus 107. minores 66. Infra: Propugnacula cum porta Prænestina 302. **Necess.** 1. fenestræ major. forins. 80. etc....“

flumen abigebant. Mediâ in lavatrînâ alter sulcus aquaticus pavimento impositus erat, quo aqua dispersa lotiumque recipiebantur. Adhuc saepius sunt, qui sentiant huic sulco infuisse aquam recentem, cui intingeretur *xylospongium*. At haec sententia refutata esse videtur.

In foricis cultioribus *foricarii* postulabant expensas utendi. Qui fuit pauperior quam ut tales expensas solveret, ei restabant ***amphorae in angiporto*** – vasa, quae collocabantur in viis secundariis a coriariis atque fullonibus, qui urinâ egebant ad opus suum exercendum. Vespasianus Imperator ab iis, qui tales amphoras ponebant, exegit vectigal. Inde derivata sunt verba illa alata: *pecunia non olet*.<sup>2</sup>

### Latrinae castellis militaribus aedificatae



Latrina militum in castello *Housesteads* prope Vallum Hadriani sita.  
In recessu apparet receptaculum aquae elutoriae.



Pars latrinae in castello *Housestead* sitae.  
Sedes ipsae lignae iam pridem sunt putrefactae.

Contra ac in urbibus Romanorum etiam in castellis, quae sita erant in angulis Imperii Romani remotissimis, fuerunt lavatrinae. Nam duces militum bene sciebant, quam artê inter se conexas essent *hygiene* et status

<sup>2</sup>Quae verba notissima quidem sunt, sed usque nunc eadem nullo invêni loco antiquo. Apud Suetonium, De vita Caesarum, Vespasianus 22, omnino alia verba leguntur (v. EL 246, p.5!)



aegrotorum, praeventio morborum contagiosorum militumque valetudo et facultas pugnandi. Ad praeventionem hygienicam praeter valetudinaria et aquae recentis abundantiam et balneationem etiam valebant latrinae. Balnea et latrinae in castellis collocatae nullo modo superabantur ab illis urbium mediterraneorum. In Britannia Maiore optimè investigata est latrina castrensium castelli *Housesteads* ad Vallum Hadriani sita. Quae sita erat intra vallum huius castelli, in loco infimo, ut omnia defluvia per canales adhiberi possent ad elutionem. Latrina militum gregalium altero spatio temporis aedificandi proprio *receptaculo aquae elutoriae* est instructa, ne esset obnoxia canalibus castello propriis. Stercora cum defluviis per murum castelli transportabantur in fossam. Itaque non iam necessarium fuit effodere *scrobem absorptoriam*. Similia instituta fuerunt etiam in castellis propinquis parvisque oppidis iuxta hunc litem militarem situs.

### **Curatio defluviorum**

Iam tempore pristino Romani *Cloacâ Maximâ* efficaciter usi sunt ad paludes siccandas. Originaliter quidem haec cloaca iam instructa erat a *Lucio Tarquinio Prisco*, ut terram uliginosam inter septem colles sitam siccaret et faceret habitabilem. Hôc modo effectum est, ut raresceret morbus *paludosis*<sup>1</sup>, quâ antea iam (et iterum Imperio Romano dilapso) Campania facta erat inhabitabilis. Methodus autem paludes canalibus subterraneis siccandi inventa erat a Latinis atque Etruscis.

Inde ex primo initio *Cloaca Maxima* adhibita est ad aquam pluviae et defluviorum in Tiberim auferendam. Eadem interim reti altero exaucta hodie adhuc operatur. Exemplum Cloacae Maximae secuti Romani quocumque loco, ubi oppida condebant aut castra legionum maiora collocabant, cloacas construebant. Cum eadem non purgarentur nisi aquâ pluviali et defluvio in canales influenti, propter declivitatem nimis parvam limo desidente in urbibus foetores excrementorum erant molestissimi. Itaque cloaca nunc incepta est per litem aquâ ductuum remotiorum, quae non apta erat ad bibendum.

**Frontinus** (*De aquis urbis Romae* 88) hoc remedium hygienicum effert verbis quae sequuntur:

<sup>1</sup>\**palūdōsis*, -is f. i. q. *Malaria*.

*Sentit hanc curam imperatoris piissimi Nervae principis sui regina et domina orbis in dies et magis sentiet salubritas eiusdem aucto castellorum, operum, munerum et lacuum numero. Nec minus ad privatos commodum ex incremento beneficiorum eius diffunditur; illi quoque qui timidi illicitam aquam ducebant, securi nunc ex beneficiis fruuntur. Ne pereuntes quidem aquae otiosae sunt: alia munditiarum facies, purior spiritus, et causae gravioris caeli quibus apud veteres urbis infamis aer fuit, sunt remotae. Non praeterit me, deberi operi novae erogationis ordinationem; sed haec cum incremento adiunxerimus; intellegi oportet, non esse ea ponenda nisi consummata fuerint.*

Praeterea servi, qui appellabantur *canalicolae*, cloacam purgabant. Per Cloacam Maximam aqua caenosa in Tiberim effluxit adhuc in regione urbis. Cum Tiber inundatione intumescebat, etiam defluvium in canalibus sursum premebatur. A.1842 regalis commissio Britannica cloacis Romanis inspectis declaravit easdem esse salubriores, id est maioris efficaciae hygienicae, quam illas Britanniae maioris.

In nullâ urbe Romanâ aqua polluta tota deducebatur. Multis locis talis aqua non defluebat nisi per canales apertos supra terram ductos. Pleraque domûs non annexae erant ad cloacas publicas, sed ex iis aqua caenosa in viam ducebatur, ubi, si optimê, per emissarium defluebat. Purgamenta et excrementa ab incolis – ut fieri solebat in vicis minoribus – in scrobes infundebantur. Tales scrobes interdum evacuabantur, ut ea quae iisdem inerant, vênirent ad agros laetificandos. Urina cum adhiberetur a coriariis et fullonibus, iidem amphoras in urbe collocabant, ut praetereuntes in easdem urinam redderent<sup>1</sup>. Incolae viculorum, qui aquam non accipiebant ex aquaeductibus atque cisternis remotioribus, periculum subibant, ne aqua subterranea contaminaretur.

### **Aquae pollutio.**

Fluvii et lacûs prope urbes siti defluviis immittendis purgamentisque in ripis fluviorum accumulandis tam vehementer polluebantur, ut iam **Plinius maior** cognosceret id quod ipse dicit his verbis (Naturalis Historia 18,3):

*Nos et sagittas unguimus ac ferro ipsi nocentius aliquid damus, nos et flumina inficimus et rerum naturae elementa, ipsumque quo vivitur in perniciem vertimus.*

---

<sup>1</sup> v. infra de fullonibus!

Tiberis pollutior erat, quam ut ulli pisces aut saltem ulli pisces salubres in eodem viverent. Itaque *Galenus medicus (De alimentorum facultatibus)* monuit, ne homines comederent pisces e Tiberi captos necnon *Flavius Vegetius Renatus (Epitoma rei militaris 3,2)* artis militaris praeceptor suasit, ut milites sedem castrorum saepius mutarent, quia aqua polluta noceret eorum valetudini.

### Quomodo fullones Romani lotio latrinarum usi sint



Pictura parietalis Pompeiana (domus fullonica VI 8, 20.21.2, quae nunc inest Museo Nationali Neapolitano.

<https://de.wikipedia.org/wiki/Tuchwalker>

Fullones fuerunt operarii, qui antiquo tempore *artem* exercebant *lavandaria lavandi*. - Romani cum nondum saponem noverint, iidem ad textilia purganda utebantur urinâ hominum bestiarumque, quia *ammoniaco* quod urinae inest removetur sordes vel pertinacissima. In urbibus maioribus erant collectacula, in quibus ingentes amphorae stabant ad urinam colligendam. In oppidis maioribus urinae collectio, et distributio et transportatio, quas fullones curaverunt, a magistratibus dirigebatur. Hac – ut ita dicamus – quaestuosâ industriâ latrinariâ fullones lucrum accipiebant haud egenum. Itaque *Vespasianus Imperator (69-79)* iisdem fabris lucripetis imposuit *vectigal lotii accipiendi*. Îdem imperator huius vectigalis rationem reddidisse dicitur verbis q.s. *Pecunia non olet* aut

brevius: *non olet*.<sup>1</sup> Scilicet fullones hōc modo etiam curabant excrementa corporis liquida removenda. -

Vestimenta lanæ superiora in specialibus lacubus lautoriis urinâ collectâ macerabantur, deinde pedibus fullonum nudis calcabantur, ut fierent mollia atque flexibilia. Sed videtur etiam adhibitus esse quidam *fustis fullonum*, nam tali instrumento a.62 p.Chr.n. *Iacobus minor apostolus* occisus esse a *Polydoro Vergilio (De inventoribus rerum prior editio)* traditur.

Denique fullones purgationem textilium eo finiverunt, quod lavandaria perluebant aquâ limpidâ ex rivo propinquo aut ex aquaeductu allatâ. Haec ratio lavandaria lavandi quibusdam locis usque ad saeculum undevicesimum in usu fuit. At tabulâ lautoriâ atque sapone inventis haec methodus cecidit in oblivionem. - Indicia artis fullonicae inveniuntur in effossis picturis Pompeianis et in Museo Romanorum prope vicum *Schwarzenacker* sito. Praeterea fullones commemorantur a.1258 *Aquisgrano in urbe* necnon in multis aliis urbibus Romanis. *Dea fullonum tutatrix* sicut omnium artificum fabrilium mercatorumque erat *Minerva*, cuius sollempnitas quotannis celebrabatur d.19. m.Mart. Multa nomina gentium et viarum adhuc nobis indicio sunt artis fullonum prioris foetidae quidem, tamen florentissimae.

### **Latrinae mediaevales et recentiores**

Stupendae Romanorum rationes technicae, quales fuerunt aquaeductûs et latrinae et cloacae, Imperio Romano exeunte venerunt in oblivionem. Medio aevo in aedificiis sepositis, velut in arcibus sive castris sive burgis, monasteriis, fuerunt secessûs in aediculis et podiis (*Erker*) secessualibus, e quibus excrementa saepe foras eiecta sunt.

In urbibus lavatrinae coniunctae erant cum fossis subterraneis, per quas in palatiis magnificis castellorum saeculi septimi et octavi decimi adhuc nulla methodus adhibebatur excrementa et defluvia removendi. Instructione technicâ parum commodâ effectum est, ut ad requisita naturae sine ullo scrupulo adhiberentur andrones et anguli cubiculorum et introitûs et transitûs et aulae et horti et rivi et canales. Quo effectus est castellorum

<sup>1</sup>Sed usque nunc nullum testimonium antiquum invēni, quo Vespasianus hanc sententiam dixisse fertur. Verba Vespasiani apud Suetonium allata sunt alia, cfr EL 246, p.5!

foetor perpetuus. Defluvia ducebantur in fossas, rivos, canales aut humo absorbebantur.

In nonnullis monasteriis mediaevalibus **necessarium** dicebatur secessus, qui supra aquam ipsam fluentem situs erat. Necessarium conclave plerumque proximum erat dormitorio, interdum non erat accessibile nisi per dormitorium. Necessaria mediaevalia perpauca relicta sunt, velut in Austriae inferioris monasterio *Stift Zwettl* et in Saxoniae monasterio Buchensis (*Kloster Buch*).

Latrinae medii aevi atque aetatis novae ineuntis fontes historici sunt magni momenti; nam quia in earum fossis minus fiunt fermentationes et oxydationes, res organicae bene servantur. Ceterum latrinae olim (speciatim apud Romanos) multum valuerunt ad varios artifices fabriles, quia urina continet ammoniacum ideoque adhibita est ad textilia coloranda, ad tannationem<sup>1</sup>, ad lavandaria lavanda.

Aqua domestica plerumque comparabatur antliis propriis, ex *antliis haustoriis* et *tractoriis*; quo imminebat periculum contagionis defluviis infectis. Cubicula dormitoria et technyphia instructa erant *sellis familiaricis portabilibus* sive parvis locis lautoriis.

Anno 1596 *Sir John Harrington* invênit **primam sellam familiaricam elutoriam orbis terrarum**. At eius inventio cecidit in oblivionem. A.1775 *Alexander Cumming* inventor Scotus accepit **diploma inventionis propter sellam familiaricam aquaticam inventam**. A.1777 diplomate instructus est **Samuel Prosser, quod excogitaverat rationem talis sellae construendae (plunger closet)**. Anno post *Iosephus Bramah* construxit genus secessuum, quo saepe naves et naviculae sunt instructae. Ab officinâ, cui nomen fuit **Gazeneuve et Companie**, Parisiis saeculo undevicesimo ineunte inventus est **secessus mobilis odorisque expers**, qui multum valuit ad lautia habitaculorum melioranda. Hoc genus latrinarum francogallicum celeriter percrebruit; e.g. *Leo de Klenze*, architectus Monacensis, talem secessum francogallicum a.1822 imposuit *Palatio Leuchtenbergiano*, quod modo aedificaverat.

Incertum est, quo loco Germaniae primum omnium instructus est secessus elutorius. Notum est a.1860 in *Castello Ehrenburg* Coburgensi talem sellam elutoriam esse instructam, idque Victoriae Reginae Britanniae causâ, quae saepe in hôc castello hospes versabatur. Haec autem sella

<sup>1</sup>+**tannātiō**, -ōnis f. i.q. theod. *das Gerben, die Gerberei*; cfr +**tannum**, -ī n. *die Gerberlohe*.

itaque ex Angliâ erat importata. Etiam vetustior quam Coburgensis est sella elutoria in *Castello Bad Homburg* instructa. Uxor comitis ruralis Friderici Iosephi VI., *Elisabetha, filia Georgii III.*, rēgis Angliae, iam a.1820 sellam elutoriam curavit aedificandam. At eadem sella non iam relicta est, sed in operibus renovandi faciendis sublata. Constructor huius latrinae elutoriae fuit *Georgius Jennings* Anglus petalurgus (1810-1882). Qui eandem exhibuit a.1851 in *Viridario Hydeniano Londinensi*. In Germaniâ sellae familiaricae elutoriae saeculo undevicesimo exeunte in urbibus percrebruerunt, cum in domibus conexûs aquatici et annexûs ad canales urbanos in consuetudinem venirent. At ruri saepe etiam post alterum bellum mundanum restiterunt *latrinulae elutionis expertes*, quales antea etiam in urbibus in usu fuerant.

### **Genera sellarum familiaricarum elutoriarum.**

Maximê percrebruerunt sellae elutoriae porcellanae ad canales annexae. Talium sellarum sunt varia genera:

***Sella elutionis profundae*** est sella familiarica, in quâ excrementa in aquam siphonis decidunt, qui subest natibus hominis sedentis. Hôc modo foetor deminuitur, quia aquâ inhibetur, ne excrementa tangant âëra secessûs. At talis sella in comparatione cum sellâ elutionis planae id habet incommodi, quod aqua saepe prosilit usque ad nates sedentis. Hoc genus sellae elutoriae in usu est Americanorum septentrionalium, Francogallorum, Anglorum et saepius quam antea in usum vênit Germanorum et Austriacorum. Variatio huius systematis elutorii est *sella elutionis graduatae*. Aqua ad siphonem defluit in extremâ parte posticâ (ad parietem), *linguâ ceramicâ* inhibetur, ne aqua in altum (ad nates sedentis) proiciatur.

Processus eluendi in europaeis sellis familiaricis aliter fit quam in boreoamericanis: Cum in Europâ excrementa auferantur aquâ, quae eluendo influit, in Americâ boreali pars aquae elutoriae formâ radii aquatici compluries laqueatim inducitur in siphonem. Systema operatur ratione *antliae radiariae*, aqua est medium propellendi, elutio cum finitur, operatur siphonem simplex. Pelvis sellae assuptione evacuatur et deinde repletur. Aquae altitudo in americanis *sellis elutionis planae* insigniter maior est quam in europaeis. *Sellae elutionis profundae* eo difficultatem afferunt, quod earum tubi defluviales coartantur sedimentis. Inde efficitur,



ut pelvis sellae aquâ elutoriâ celerius compleatur quam defluendo evacuatur. Itaque excrementa natant in summâ aquâ et aqua non defluit nisi e parte siphonis profundiore idque lentê.

***Sella elutionis planae*** est sella familiarica, in quâ sub natibus hominis sedentis est quoddam genus gradûs, in quem decidunt excrementa. Defluxio ad siphonem fit in tali sellâ in parte anteriore (versus secessum medium sitâ). Excrementa non removentur nisi eluuntur trans siphonem in systema defluviale. Sic fieri potest, ut oleti pars eximatur ad examen medicinale faciendum. Itaque huius generis sellarum elutionis planae maximum incommodum est, quod multum oritur foetoris; itaque latrinae publicae et privatae ex annis nonagenariis loco elutionis planae instruuntur elutione profundâ.

### **Sella familiarica infantularia**

Quibusdam in receptaculis infantium, qualia sunt nepiagogia, sunt sellae familiaricae infantibus destinatae. Ut infantuli, qui antea alvum non exoneraverunt nisi matellis adhibitis, consuescant ad sellam familiaricam, adhibentur sellae, quae instructae sunt aperturis deminutis, ne infantes in sellam incidant. At iidem sellam non adhibere possunt nisi adiuvantur ab infantulariâ.

### **Secessus incoxatorius**

Is qui utitur secessu incoxatorio, non sedet in sellâ, sed – sit venia verbis parum politis - *cossim cacat* sive alvum exonerans *natibus incoxat*. Excrementa in tali secessu recipiuntur aut simplici foramine aut sulco pavimenti aut pelvi planâ. Secessûs incoxatorii saepe adhibentur in Asiâ, Europâ meridionali, in terris islamicis. Quia in tali secessu corpus hominis alvum exonerantis non tangit locum excrementa recipiendi, saepe putantur esse perquam hygienici. At imperitus usus talium secessuum est difficilis. E contrario etiam usus *sellae pertusae* interdum est difficilis hominibus, qui ad tale genus latrinae non sunt assuefacti. Est autem memoratu dignum incoxantibus non flecti intestinum finale, quod fiat in sellâ familiaricâ sedentibus.

### **Sellae familiaricae stativae aut appensae**

Prius homines solebant sellas familiaricas in conclavi statuere a pariete remotas. Tubus defluvialis voluminosus per lacunar, deinde aut ante parietem aut in aediculâ parietis sub directurâ deorsum est ductus.

Hodie ductûs affluviales et defluviales plerumque invisibiles positae sunt post structuram siccam. Ut ductus defluvialis integer lateat pavementique purgatio fiat facilior, praestat sellam familiaricam parieti appensam cum structurâ coniungere. Itaque sellae familiaricae appensae sunt frequentissimae.

### **Sellae familiaricae scaturiginales**

Sellae familiaricae modernae instructae sunt tubulo mammato, e quo botone presso emittitur scaturigo, quo ânus, plerumque etiam genitalia hominis alvum exonerantis purgentur. Tales sellae familiaricae insunt in Helvetiae habitaculorum denis centesimis partibus, Germaniae in unâ tantum centesimâ.

### **Secessûs ferriviarii**

In traminibus ferriviariis generaliter sunt *secessûs unisexuales*. Usque nunc non contigit, ut secessûs in usum introducerentur secundum sexum destinatos.

### **Constructio aperta secessûs ferriviarii**

In constructione fit, ut excrementa directê foras emittantur. Prius hoc systema fuit frequentissimum, itaque traminum epibatis secessum adhibere ipsis in stationibus ferriviariis non licuit. Commoda huius constructionis sunt simplicitas, accessibilitas continua, absentia laborum vacuefaciendi; incommoda sunt problemata pollutionis circumiectorum.

### **Constructio clausa**

Secessûs constructionis clausae instructi sunt cisternâ defluviali, quae solet vacuefieri cottidie aut altero quôque die in defluvium. Tales constructiones plerumque evacuantur pressione negativâ; hōc modo in elutione minus aquae est necessarium.

### **Secessûs vacuarii**

adhibentur in aëroplanis, navibus, traminibus modernis necnon in vehiculis astronauticis. Secessûs astronautici propter absentiam gravitationis constructi sunt secundum rationem *aspiratri*. Apertura talis secessûs magnitudinis est ferê palmaris ideoque usus talis secessus est exercendus.

### **Secessûs chemici**

eo commodi sunt, quod aqua defluvialis rarius est auferenda; incommodi sunt propter substantias chemicas circumiectis nocivas. In defluviolorum tractatione biologicâ excrementa microorganismis sic permutantur, ut portio aquatica iterum possit adhiberi. Secessibus biologicis fiunt longi cycli vacuefactionis. Incommodi sunt tales secessûs eo quod systema potest «inverti» (i.e. theodiscê *kippen*), si e.g. pelvis secessualis purgatur substantiis chemicis parum aptis.

*Alia genera secessuum* sunt:

- **trabs tonitrualis**, i.e. latrina militum subdialis
- **secessus foveâ absorptoriâ instructus**
- **secessus receptaculo instructus**, qui adhibetur in autocineto habitabili aut in locis structoriis
- **secessus receptaculo septico et areolâ clarificatoriâ instructa**, quibus excrementa liquida clarificantur




ECCE »TRABS TONITRUALIS«, I.E. LATRINA CAMPESTRIS  
BELLO MUNDANO PRIMO CONSTRUCTA

Verba manu subscripta («*stark besetzt*») valent: «frequentatissima»

- **secessus composturae sive secessus siccus**: secessus, quo substantiae solidae compostantur et ab urinâ separantur.
- **secessus composturae sine urinae separatione**
- **dolium curtum** subterraneum fodinariorum
- **secessus navalis**, qui invenitur in navibus, aëroplanis, traminibus ferriviariis, laophoris itinerariis
- **secessus combustorius**. circa a.1900 talibus latrinis excrementa comburebantur.
- **lagoena urinaria**, matella, pelvis lectuaria
- **latrinulae mobiles tuguriopolitanae**

Secessûs vacuarii etiam etiamque plures ibi instruuntur, ubi necesse est fluentia substantiarum separare (velut in sectione nosocomiorum radiologicâ) aut ubi defluvia tractantur ratione biologicâ et anaërobicâ. Etiam alii secessûs separatione urinae instructi examinantur.



**LATRINULA SCHOLARIS VICI *Portz* (*Merzkirchen*, prope *Saarburg*)**

Quae hodie invenitur in Museo subdiali *Roscheider Hof* Confluentiae (*Konz*) sito.

Opusculum craticium tegulis constructum. Nova latrina elutoria alio loco cum constructa esset, pedellus hac usus est ad gallinas servandas.

### Consumptio aquae

Cisternae elutoriae more tradito constructae capiebant circiter 9 – 10 litras aquae. Actio eluendi non potuit interrumpi. Propter aquae ductionem meliorem factam hodie sufficiunt 6 litrae et *plectris parsimoniae* premendis elutio potest interrumpi et copia aquae deminui usque ad 3 tantum litras. **Hugo Feurich** excogitavit ***rationem sellae familiaricae, quae duabus tantum litris aquae eget ad unam elutionem faciendam.*** Multis in terris europaeis necnon in Iaponiâ secessûs in consuetudinem venerunt, in quibus elui potest variis copiis aquae (ratio technica eluendi et aquae sistendae, systema eluendi duarum copiarum). Aliis in terris, velut in Civitatibus Unitis, ubi fabricatores potius student secessûs adhibere, quibus generaliter aquae parcatur quam efficacissimê, *selectro* instructa systemata eluendi vix prostant venaliter. Multi secessûs instructi sunt instrumentis, quibus foetores e cellâ abducantur in âera liberum; alii instrumentis, quibus âër emissus directê desugatur e pelvi sellae familiaricae.



**SELLA FAMILIARICA REGIS VILELMI III. ANGLIAE**

Sedes vellutina, in Aulâ Hamptoniâ Londinensi

### **Foricae sive latrinae publicae**

Secessûs publici saepe signantur numero zerotis duplicis aut litteris WC (i.e. anglicê *water closet*). Seiunctio sexuum in foricis observanda est tam insignis, ut *pictogrammata* viri et feminae iam sufficiant ad secessûs publicos indicandos. In *latrinis unisexualibus* nulla seiunctio fit sexuum, velut in secessibus traminum ferriviariorum aut in secessibus mobilibus. Etiam locis, ubi usque nunc secessûs virorum feminarumque inter se discreti, nunc etiam oeci sanitarii communiter adhibendi instruuntur. Quibus evitantur difficultates, quae oriuntur, si latrinae adhibentur a parentibus unâ cum liberis alterius sexûs necnon ab hominibus *intersexualibus* aut *identitatis transgenericae nonbinariae*, parcitur areae adhibendae, augetur custodia socialis<sup>1</sup>.

Foricae virorum solent instructae esse vasibus urinalibus, quae parietibus affixa aut *sulco minctorio*, rarius *pelvibus sputariis*. In domibus privatis tales pelves raro inveniuntur. In secessibus mulierum publicis Civitatum Unitarum in cellâ est interdum *sedes infantium plicatilis* parieti affixa, cui infantes cingulo confirmati possunt imponi, cum mater utatur sellâ pertusâ. In Germaniâ et Austriâ postulabatur, ut omni in officinâ, ubi operarentur et viri et feminae, et in cauponis, quibus insunt oeci hospitem (sine respectu magnitudinis) instruerentur binae latrinae respectu sexûs inter se separatae. In Germaniâ hoc praeceptum interim est laxatum.

Interdum conductores operarum utuntur argumento *lavatrinae mulierum absentis*, ut recusent, ne munus attribuant feminis. Oecus lavatrinae utriusque sexui destinatus, qui continet vas urinale virorum, feminis saepe est iniucundus. Haec mulierum iniucunditas eo evitari potest, quod lavatrina dividatur in tria compartimenta, quorum unum est aquaemanilibus et speculo instructum et brevi saepimento separatur ab urinali. Tertium compartimentum complectitur secessûs ostiolis obserabilibus instructos.

In officinis maioribus et officiis et scholis lavatrinae cooperatorum separatae sunt ab emptorum et visitorum et discipulorum. In nosocomiis atque medicorum praxibus propter requisita hygienica lavatrinae

---

<sup>1</sup>Sed sunt alii qui aliter sentiant de *transgenderismo* in latrinis construendis observando: Nam referuntur nonnulli homines, qui quamvis corpore sint virili, tamen contendunt se sentire animam suam esse femininam ideoque se velle lavatrinâs feminarum inire. Interdum factum est, ut tales viri pseudo-feminae veris feminis in lavatrinâ stuprum inferrent.



cooperatorum distinctae sunt a patientium. Ad foricas curandas saepe postulantur *expensae usuales*. Etiam in cauponis frequentatissimis interdum *expensae* postulantur ab hominibus non convivis latrinam adhibentibus. In Germaniâ *Nette Toilette* (i.e. lavatrina cômis, affabilis) est lavatrina, quae a mercatoribus atque cauponibus publicê cômîtatis causâ gratis praebetur adhibenda. Huius comitatis causâ iidem a magistratu urbis administrandae accipiunt quandam remunerationem.

### **Proprietates latrinarum regionales.**

In terris romanicis praeter sellam familiaricam saepe instruitur *scaphium* (*bidet*), quo lavantur ânus et genitalia. In deversoriis lautioribus tale instrumentum ubique terrarum vênit in consuetudinem. In terris industrialibus saepe in margine pelvis sellae familiaricae inveniuntur *corbulae fragrantés*, quae continent *lapides latrinales*. Quibus fragrantibus odores iniucundi superantur, partim pelvis purgatur.

*In terris arabicis* iuxta locum excretorium semper est epitonium brevi utro aquatico instructum aut vas ad aquam transportandam, quae adhibetur ad hominem et locum purgandos. Charta hygienica ibi *non* solet adhiberi: Saepe adest *situla purgamentorum*. Quibusdam in partibus Orientis Propinquae latrina mesquitae viris tantummodo licet ûti, non mulieribus. Etiam in cauponis, etiam si habent compartimentum familiare quod dicitur, saepe desunt secessûs mulierum. A.2006 in tribu mercatûs urbis *Erbil* boreoiracensis prima forica muliebris est condita et aperta.

In latrinis *Iaponiae*, praesertim muliebribus, invenitur *otohime*, i.e. parvum megaphonum, cuius soni praevalent sonis corporis.

### **Rumusculi atque inscriptiunculae latrinarum**

Lavatrinae sunt loci *individualismi*, quibus interdum commercium litterarum fit inter assellatorem eiusque successores eo, quod îdem verba inscribat parietibus *diaetae* interioribus. Hoc fit praecipuê in foricis frequentatissimis, velut in stationibus ferriviariis, cauponis, aedificiis universitariis. Milites, si in exercitiis pugnandi aut in campo proelii sedent in latrinâ subdiali, quae appellatur *trabs tonitrualis*, ubi alvum exonerantes habent multa colloquiola, saepius audiunt et êdunt *rumusculos latrinariorum*.

### **Phobiae foricariae**

*Timor in foricis mingendi* est genus phobiarum, quod dicitur *paruresis*. Similes timores spectant ad alvum exonerandam. Nomen talis timoris est *rhyphobia*. Sunt foricae, quarum parietes confectae sunt vitro intelligenti. Superficies talis vitri fluentum electricum conducens tensione electricâ fit impellucida.

Aliquando aedificata est forica artificiosa, cuius parietes constant ex *speculis semipellucidis*. Homines e foricâ opacâ per parietes possunt perspicere et praetereuntes videre, sed ipsi non possunt spectari a praetereuntibus.

### **Musea**

In oppido Austriae superioris, quod appellatur *Gmunden*, exstat Museum Lavatrinae et rei sanitariae (*Klo & So Sanitärmuseum*); in oppido *Leibnitz* visi potest Parvum Museum Sanitarium (*Das kleine Sanitärmuseum*); in *Schiltach* est Museum Aquae et Balnei et Designationis (*Museum für Wasser, Bad und Design*); et *Gleiwitzianum* Museum Technicae Sanitariae necnon *Visbadense* Museum Latrinae Privatum (*Privates Klo-Museum*).

### **Trivialia**

- *Ludovicus (Luis) Buñuel* Hispanus scaenothetes cinemate suo, cuius titulus est »Phantasma libertatis« (*Le Fantôme de la liberté*), pudicitiam ad alvum exonerandam spectantem ad ridiculum convertit. Cum cives abderitani in conventu communiter in lavatrînâ sedentes hoc nequaquam indecôrûm esse putent, non cenant nisi magno cum pudore et loco secreto atque tranquillo.

- *Rudolfus (Rudolf) Protz*, negotiator assecurationum, annis saeculi undevicesimi octogenariis Berolini primas foricas curavit instituendas, quas appellavit »instituta requisitorum« (*Bedürfnisanstalten*). Verbum theodiscum temporale *protzen* aut *abprotzen* Berolini saeculo undevicesimo exeunte derivatum est e nomine huius negotiatoris. At ex nonagenariis annis saeculi proximi praeteriti hoc verbum obsolescit.

- Hammaburgi foricae appellantur *Tante Meier* (i.e. matertera Meier). Quod nomen exortum est Hammaburgensium tempore francogallico. Cum miles Francogallus occupator secedebat ad requisita naturae, dicebat se ire

ad »tentorium maius« (*tente majeure*). Puellae autem Hammaburgenses sermonis francogallici imperitae intelligebant *Tantmajör* idemque verbum deformatum mutabant in *Tante Meier*, i.e. matertera Meier.

- Lavatrina certê est locus animi et corporis relaxandi: E demoscopiâ a.2018 factâ apparet alterum quemque operarium (48%) secessum petere tempore operandi, ut pausam faciant et res privatas tractent. 33% (tricenae trinae partes centesimae) interrogatorum responderunt secessum sibi esse loculum tranquillum aptum ad respirandum atque requiescendum. In eodem quindenae partes centesimae utuntur sophophono (*smartphone*) ad ludendum et dialogêum (*chatroom*) ineundum. Ex alterâ parte etiam 33% (tricenis ternis partibus centesimis) conductorum operarum persuasum est cooperatores suos in lavatrînâ pausam facere.

**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM  
QUAE EST  
DE LATRINIS ATQUE SECESSIBUS  
E THEODISCO IN LATINUM  
CONVERTIT  
LEO LATINUS**

## ECHUS VOCES EPISTULAE

D.30. m.Dec. a.2021 h.21:06 scripsit Jan-Piet Knijff:

**Johannes Leoni Latino sal.**

Ut vales, Leo doctissime? Iam diu nullam *Epistularum* accepi tuarum. Vix credere possum te paucos iam menses nullas omino dedisse in lucem. Fortasse miro in modo electronico ex indice tuo inscriptionum electronicarum excidi? Ceterum quid de proposito tuo de novo periodico incipiendo? Utut spero te feriis frui iucundissimis, immo hercle beatis, atque annum novum faustum felicem ex imo corde tibi uxori que exopto tuae. En interrogatum meum: Quomodo Latine dicitur id quo participes in certaminibus sagittariorum sagittas dirigunt (ut puta Robertum illum Hood vel Vilelmum nostrum Tell)? Est enim discus quidam (id quod Germanice quod sciam (*Zielscheibe*) in cuius partem mediam – velut umbilicum vel fortasse cor – sagittae diriguntur, id quod Anglice videlicet *the bull's eye*. Quid suades? - Athletice valeas cura, mi Leo, hisce praesertim diebus vel parvula littera Graecula vel – quod mihi verisimillius – insania magistratum periculosissimis!

**Nicolaus Johanni** suo sal.pl.

Rectissime suspicaris, amice carissime, quod propter defectum technicum iam diutius nullas a me accepisti Epistulas Leoninas. Nuper enim computatro subito defecto novum comparavi. Proh dolor indicis inscriptionum magna pars - tua inclusa - perdita est nescio qua de causa technica. Itaque tibi scribere non iam potui. Gratias summas pro nuntio tuo! Statim tibi mittam Epistulas Leoninas, quae tibi desunt. In Novum Annum tibi exopto optima quaeque: utinam fruaris valetudine prosperrima, utinam condicio tua scholaris quam optime confirmetur (quid de Waldorfiana schola? Docesne adhuc ibi?) Haec hactenus brevissime, mox certe, si volueris, plura. Pancratice vale, mi care Johannes, et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

**Leo Johanni s.**

Utinam bene accipias Epistulas meas, care Johannes. Medullitus N. L.L.

theod. **Ziel(scheibe)**, angl. **target**, Latine sic reddi potest: **signum**, -ī n. **scopus**, -ī m.

[cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14.ed., tom.II, Hannover 1976, col.2538, s.v.: “scopus, i, m. (σκοπός), das Ziel, nach dem man schießt, Suet.Dom.19 (Roth u. Ihm lesen scopulus, w.s.): übtr., nos ad hunc scopum dirigere, Cassian.coll.1,5” — cfr OLD, p.1708, s. ? **scopulus**<sup>2</sup> ~i, m. (app. \***scopus** (Gk. σκοπός) +VLVS) **A target, mark (in archery)**”. — cfr **SUETON.Dom.19** XIX. Laboris impatiens, pedibus per urbem non temere ambulavit, in expeditione et agmine equo rarius, lectica assidue vectus est. Armorum nullo, sagittarum vel praecipuo studio tenebatur. Centenas variis generis feras saepe in Albano secessu conficientem spectavere plerisque, atque etiam ex industria ita quarundam capita figentem, ut duobus ictibus quasi cornus efficeret. Nonnumquam in pueri procul in stantis praebentisque pro **scopulo** dispansam dexteræ manus palmam, sagittas tanta arte derexit, ut omnes per intervalla digitorum innocue

evaderent. cfr Nouveau Dictionnaire du voyageur, François – Aleman – Latin, Geneve 1703, p.172: “but, m. Blanc, ou l’on vise pour tirer. Ein Ziel/ ein zweck/ ein **Zielscheibe. Scopus.**” — cfr Vuk Stefanović Karadžić, Lexicon Serbico-germanico-latinum, Wien 1818, col.31: “...**zielscheibe, scopus.**” ---- cfr Jacques Paul Migne, Scripturae Sacrae Cursus completus, ex commentariis omnium perfectissimis... tomus vicesimus secundus, In S.Marcum et in S.Lucam commentaria. Parisiis 1840, col.443: “ET IN SIGNUM, et ut sit signum, scilicet positus est. Simile legitur Job.16,v.13: Posuit me sibi quasi in signum, et Threnorum 3,v.12: Posuit me quasi signum ad sagittam. **Signum intellegitur, quale illud in quod solent sagittarii collimare, quod Graece scopus dicitur. ...Hujusmodi signum est scopus quem sagittarii sibi praestituunt, in quem certatim omnes sagittas suas jaciunt, eumque configere, confodere, lacerare, ac destruere contendunt, certantque ut quam proxime singuli cor centrumve trajiciant.**” ]

d.05. m.Ian. a.2022 h.13:30 scripsit Jan-Piet Knijff:

**Johannes Nicolao** suo s.

Pro litteris epistulis vocabulis gratias tibi ago, amice Leo. Quod ad scholam attinet, adhuc doceo. Quod interim magistratus scholarum Bavarensium me aptum declaraverunt ad artem musicam docendam videtur ut liceat mihi scribere probationem illam ingens quod Examen Rei Publicae fortasse Latine dici potest, eo scilicet modo ut lingua Latina id rei mihi sit quod Disciplina Additicia vel fortasse Auxiliaris (id enim quod Theodisce *Erweiterungsfach*). Dis Latinis Graecis Germanis universis volentibus istud periculum hoc anno mense Septembri subibo. Displicet nimirum tale periculum mihi esse subeundum atque de convertendo in Theodiscam linguam magis sollicitor quam de lingua Latina ipsa, sed videbimus, nihil enim aliud fieri posse videtur. Amicus Monacensis, ipse linguae Latinae magister rude iam donatus, mihi iterum iterumque suadet ut nullum sit dubium quin periculum superaturus sim. Interea et Latine doceo duabus in universitatibus popularibus (quae Theodisce scilicet *Volkshochschulen* vocari solent), ergo multas omnino scholas doceo Latinas. Praeterea est mihi discipula tiro linguae Anglicae necnon unus discipulus clavichordo (vel fortasse melius clavili, nescio quod vocabulum placeat tibi) canendi. Vero haec hactenus, mi Leo. Utinam Caspar Melchior Balthasar pulcra tibi canant cantica atque non dies tantum crastinus sed annus totus sit nobis omnibus epiphania, eo modo sane quo Angli hoc vocabulum intellegunt. Athletice valeas cura atque ante omnia litteram istam cave Graeculam!

D.05. m.Ian. a.2022 h.1:42 PM

**Nicolaus Johanni** s.

Gratias plurimas pro verbis tuis, amice optime! Utinam examen Rei Publicae mense Septembri tibi eveniat feliciter! Licetne publicare hanc epistulam tuam? Nam mihi cordi semper est commercium epistularum Latinum divulgare, ut exempla praebeantur Latinitatis vere vivae. Sed scilicet ne patefiant privatissima et familiariora quam ut apta sint ad divulgandum. Haec hactenus brevissime, mox certe plura. Sint tibi dies recreabiles. Quid de versionibus tuis Maupassantianis aliisque? Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus.

D.05. m.Ian. a.2022 h.14:22 scripsit Jan-Piet Knijff:

**Johannes Nicolao s.**

Certe quidem licet epistulam publicare hodie tibi scriptam. Nihil enim in ea mihi videtur nimis privatum aut ut publicetur minus aptum. Quid tibi videtur? Iam diu de fabulis Maupassantianis convertendis non cogitavi, nunc enim sunt pauca alia proposita de quibus, ut spero, mox dicendum erit. Restat autem fabula quaedam Carmiggeltiana, quam iam antea Gaius nostro Licoppio ut publicaret promisi. Nunc autem iam paene annum nihil de re ex eo audivi. Fieri fortasse potest ut eum de re interrogem. Nisi in animo est illi fabulam mox (ne dicam mox mox) publicare, laetabor si tu illam publicare volueris vel novo in periodico tuo vel *Leonina* in *Epistula*. En fabula huic epistulae adhaesa. Adhuc iucunda mihi videtur neque (Iuppiter!) saeculo nostro omnino inepta. Quid suades, Leo docte? Valeas quam optime!

On Wed, Jan 5, 2022 at 2:28 PM SPQR <[spqr@leolatinus.de](mailto:spqr@leolatinus.de)> wrote:

**Nicolaus Johanni s.**

Placet novus Carmiggeltius Latinus. Divulgetur - ni Gaius ius prioritatis postulaverit - in Epistula Leonina! Vale, N.

**Johannes Leoni s.**

Gaudeo quidem! Vesperi scribam ad Gaium. Vale!

d.06. m.Ian. a.2022 h.5:52

**DR. GAIUS LICOPPE NESTOR ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE**

**Gaius Johanni optimo s.p.d.**

Et tibi annum exoptamus faustum et felicem!

Re vera nesciebam utrum ius translationis divulgandae a domo editoria accepisses necne. Cum autem soleas in Leone Latino scripta publicare, Nicolaum orbare nolo auctore sibi solito. Libenter ergo permitto ut hanc fabulam divulget, sperans fore ut Melissa aliam commentationem a te aliquando accipiat. Optime vale!

**Johannes Leoni sal.**

Ut vides nihil obstare videtur – publicandi enim iure iam pridem a domo editoria accepto – quin tu fabellam Carmiggeltianam in *Epistula* publiques *Leonina*. Versio Latina infra impressi quo fortasse facilius typis – ut ita dicam – paretur. Vale!



**PROF.DR. CHRISTIANUS LAES****Alter a Praeside Academiae Latinitati Fovendae (ALF)**

D. Lovanio anno 2022 a.d. III Non. Ian.

Christianus Laes omnibus sodalibus ALF salutem plurimam!

Nunc demum, sodales atque collegae carissimi, licet epistulam vobis scribere, optimo praeside nostro non excluso. Nullus dubito quin vos auctores nunc in manu teneatis 'magnum hoc secretum', librum scilicet gratulatorium, qui ante duos menses in honorem Theoderici nostri in lucem est editus, elegantissime quidem a domo editoria Brepols.

Quo in volumine spississimo non tantum inest insigne nostrae Academiae, sed etiam insunt nomina sodalium atque auctorum haec (ordine alphabetico): Albert, Chevalier, Ciarrocchi, Freyburger, Laes, Marcellino, Minkova, Money, Pascual Barea, Pekkanen, Pisini, Raedle, Regtuit, Rossi, Schaffenrath, Smolak, Spataro, Stroh, Tunberg, von Albrecht -- qui Anglice, Italice, Latine, Theodisce opera sua docta divulgaverunt.

Sic iterum demonstratur quod minime erat demonstrandum, sed semper iuvat indicari: Academiam nostram esse et doctam et Latinam!

Certe nunc gaudet Theodericus noster atque dubio procul ignoscat rebus clanculo peractis.

Mihi restat ut auctoribus congratulor pro laboribus exanclatis, ut vobis omnibus bona faustaque omnia exoptem in annum novum 2022um - utinam condicionibus fruamur quas habuimus ante luem!

**Christianus Laes**

**alter a praeside**

**PROF.DR. THEODERICUS (Dirk) SACRÉ****Praeses Academiae Latinitati Fovendae (ALF)**

d.31. m.Dec. a.2021

Theodericus Sacré ALF sodalibus s.d.p.

In annum hunc novum optima quaeque vobis, sodales, exopto: 'Rideat hocce anno vultu Fortuna secundo' sinatque nos conventum ALF in Urbe celebrare praesentes!

Ceterum Academiae gratias ago maximas quod me nil tale merentem libro nitido, spisso, docto, partim Latino donavit. Insunt huic poematia, commentationes, testimonia: quorum pars haud exigua a vobis est profecta. Scriptis me istis valde delectatum esse scitote, sodales, ac multa me inde etiam addidicisse credite! Beneficium istud singulare ut animo grato accepi, ita reddere nullus possum: at ipsius numquam non meminero!

De acroasi autem huius mensis Latina plura post paucos (ita spero) dies comperietis. Interea valete quam optime!

**IOANNES CAROLUS ROSSI MEDIOLANENSIS**

d.04. m.Ian. a.2022

Fateor, sodales, jucundum fuisse mihi aliquid clam Praesidem nostrum conjurati instar patrasse... non enim sica nec pugione, quasi in Caesarem renati Bruti, cuncti usi sumus, sed divite latinitatis vena, quae ex animis nostris sponte effluxit, ut meritis laudibus vir non minus doctus quam amicus perfunderetur.

Valete omnes sitque vobis annus hic novus, quamvis ob virus coronarium nefastis ingruisse videatur avibus, felix faustus fortunatusque secumque omnia quae cupitis afferat et elargiatur.

**EVNTIVS  
DE PROXIMO CONVENV  
ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE  
(11-15.VI.2022)**

**“DE VRBE ROMA” SIVE DE CONVENV OMNIVM GENTIVM QVEM ROMAE  
CELEBRABIT ACADEMIA LATINITATI FOVENDAE (11-15. VI. 2022)**



Pandemia coronaria, quae diu ac vehementer saeviit, factum est ut Convendum omnium gentium, quem medio hocce anno 2021 celebraturi eramus, differre cogere mur. Etiam si nondum sit morbus ille vel insitionibus vel aliis remediis plane depulsus, tamen spes est fore ut eius vires paulatim laxentur. Hinc in annum proximum non sine confidentia prospicimus et Convendum nostrum denuo proponere audemus; veri enim est simile fore ut verno tempore ad finem vergente fortuna nobis faveat hominumque coetus permittat maiores. Itaque quadriduum praestituimus quod nobis ad congressum esse videbatur aptum: peragetur Convendus a die 11 usque ad 15 mensis Iunii anni 2022. Die 11 habebitur Coetus Generalis Academiae Latinitati Fovendae; reliqui autem dies ipsi Conventui dicabuntur. Ad colloquia Latina tam iucunda quam docta per eos dies serenda in monasterium S. Caeciliae Romanum, quod est in regione Transtiberina, conveniemus; at, acroases nonnullas et orationes ut audiamus, devertemus etiam in Pontificiam Studiorum Universitatem Salesianam, quae est in Urbe, atque in Academiam, cui nomen Vivarium Novum, quae est Tusculi. Convendus argumentum erit ‘De urbe Roma’, quod etsi simplex est et unum, latius tamen patet.

Alios enim de litteris antiquis, mediaevalibus, vel recentioribus et recentissimis, alios de descriptionibus Urbis eiusque topographia, alios de aedibus et villis poetice descriptis, alios de titulis, alios de historia Urbis, alios de pictura Romana, alios de notione Urbis Romae eiusque fortuna disserere iuvabit. Ut rerum, ita temporum quae respicientur dubio procul erit varietas insignis, quod hi ab Urbe condita, ut ita dicamus, incipere cupient, illi ad hoc, quo vivimus, aevum descendere volent; quidni liceat utrumvis? Admittentur ergo, quantum id quadriduum sinet, orationes Latinae maxime variae, ea tamen condicione ut argumenta tractanda cum lingua Latina dilucide coniungantur et fontibus Latinis quodammodo innitantur. Inter Conventum orationes acroasesque Latinae locum obtinebunt summum illae quidem, at etiam spectacula quaedam edentur producenturve acroamata, haud neglectis cantibus Latinis. Exitum optatum eiusmodi Conventus non habebit, nisi oratores boni oratricesque bonae interesse ipsi voluerint, qui argumenta proposita apte, docte, Latine exponant. Omnium insuper participum erit acroases singulas suis interrogationibus, observationibus, disputationibus locupletare.

De ipsis autem orationibus habendis generatim praemonenda sunt haec:

- Singulis oratoribus dabitur semihora ad dicendum.

- Quo facilius participes verba prolata intellegere possint, auctores sumus ut orationum exempla duabus circiter ante Conventus initium hebdomadibus ad moderatores mittantur per cursum electronicum; namque verba, dum recitantur, tam excipi auribus quam ope programmatis alicuius electronici oculis inspicere posse velimus. Quodsi hic illic invenietur, qui ex tempore orationem Latinam habere velit, nihil obstat, dummodo, programme quod Anglice 'Powerpoint' appellatur usus, rerum adumbrationes sive lineamenta quaedam proponat, quae audientibus auxilio sint futura.

- Acta Conventus typis postea edentur.

Ad hos igitur dies Latinitatis festos te libenter invitamus, cum ut rebus agendis intersis, tum ut orationem praesens habere conventusque argumentum, quod diximus, disceptatione tua illustrare atque ornare digneris. Gratissimum nobis feceris si data epistula annueris, addito orationis habendae titulo necnon summario, quod verba summum CCL complectatur. Quem tu titulum subiuncto summario ut ad Kalendas Ianuarias anni 2022 ad nos cures mittendum oramus, hac sola adhibita inscriptione, quae est: nicodemico4@gmail.com Deinde mense, ut speramus, Ianuario anni 2022, cum proposita omnia nobis erunt allata, ordinem rerum in Conventu agendarum rite constituemus deque eo te quam primum fieri poterit certiore faciemus.

Hoc est igitur nobis in votis, ut incepto faveas, epistulae huic rescribas nomenque des in Conventum! Fac optime valeas!

D. anno 2021 a.d. VII Kal. Ian.

Francisca Deraedt – Nicolaus De Mico – Christianus Laes – Aloisius Miraglia - Theodericus Sacré

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut offeram titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI –</b> Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-	<b>TESTAMENTUM</b>	Henricus van den	-----	2004	CD-	7 pp.	€ 17,50



		09-8	REYNERI BERLBYN	Lande de Raelt			ROM pdf		
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030 6A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 –	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

	<b>6A</b>		<b>Libri audibiles</b>						
<b>27</b>	<b>0050 6A</b>	<b>978-3- 938905- 26-5</b>	<b>EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 –  Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
<b>28</b>	<b>00107 A</b>	<b>978-3- 938905-27- 2</b>	<b>ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS</b>	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
<b>29</b>	<b>0020 7A</b>	<b>978-3- 938905-28- 9</b>	<b>OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA</b>	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
<b>30</b>	<b>00307</b>	<b>978-3- 938905-29- 6</b>	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

# **VOTA IN ANNUM 2022 FERENDA**

**CARA LECTRIX, CARE LECTOR,**

**IN ANNUM MMXXII INEUNTEM**



**LEO LATINUS  
OPTIMA QUAEQUE TIBI EXOPTAT.**



**CERTE HIC ANNUM NON ERIT FACILIS SUPERATU  
SED NOS STUDIA HUMANIORA AMPLEXI  
SEMPER SOLACIO FRUIMUR BONARUM LITTERARUM.  
DUM SPIRAMUS SPERAMUS MUNDUM ALIQUANDO  
FACTUM IRI LOCUM MELIOREM.  
TU NE CEDE MALIS SED CONTRA AUDENTIOR ITO.  
UTINAM HOC QUOQUE ANNO MANEAMUS  
VINCULO LATINITATIS INTER NOS  
CONIUNCTISSIMI.  
VALE PANCRATICE ET PERGE MIHI FAVERE!  
MEDULLITUS TE SALUTAT  
LEO LATINUS.**



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM UNDEQUINQUAGESIMAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Epiphaniae sive Trium Magorum  
06. m. Ian. a. 2022**



**Dr. Nicolaus Groß**  
**LEO LATINUS**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae